GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

Can. JO. B. PIGHI

DE

UNIVERSA PŒNITENTIÆ RATIONE

IN PRIMITIVA ECCLESIA

EX OPERE

INSTITUTIONES HIST. ECCLESIASTICÆ

EJUSDEM AUCTORIS



ALMA COLLEGE
236.409
LIBRARY
P625
Alma, California

VERONÆ
EX OFFICINA LIBRARIA PONTIFICIA
FELICIS CINQUETTI
MCMV

33169

Opus « De universa pœnitentiæ ratione in primitiva Ecclesia » ab admodum Rev.do Can.° Joanne Baptista Pighi in nostro Episcopali Seminario Historiæ Ecclesiasticæ ac Theologiæ Moralis Professore conscriptum, et auctoritate Nostra revisum, approbamus, ac ut typis edatur concedimus.

Veronæ ex Aedibus Episcopalibus
die VII Februarii A. MDCCCCV

✠ **BARTHOLOMÆUS Card. BACILIERI Episcopus**

Editor sibi jura reservat

Veronæ Typ. episc. G. Marchiori

De universa pœnitentiæ ratione in primitiva Ecclesia.

PRÆNOTIONES

A primis temporibus Ecclesiæ institutum fuit, ut qui graviora quædam crimina perpetraverant, ad perfectam societatem cum fidelibus et participationem mysteriorum non admitterentur, nisi postquam per publicam pœnitentiam plus minusve duram ac diuturnam ipsi Ecclesiæ convenientem satisfactionem præstitissent. Qualis hæc pœnitentia fuerit in quibusdam ecclesiis occidentalibus circa initia sæculi III., reperimus apud Tertullianum : « *Exomologesis* prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem; de ipso quoque habitu et victu mandat sacco et cineri incubare [1], corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere [2], illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; ceterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa, plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrimari et mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, presbyteris advolvi et caris Dei adgeniculari . . . Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit: in quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet » [3].

Verum post medium sæculum III. hæc disciplina firmioribus legibus determinata fuit; ex his legibus, seu canonibus, dicta fuit *Pœnitentia canonica*; ex cæremoniis, quibus peragenda erat, *solemnis*; a qua distinguebatur pœnitentia simpliciter publica, et multo magis privata, seu secreta. Illa, præsertim quæ proprie erat solemnis, in quibusdam ecclesiis Orientis quatuor *stationibus* seu gradibus constabat [4], quorum expositionem habet *Epistola canonica* s. Gregorii thaumaturgi data circa annum 258, occa-

1) Vide synodum agathensem *Can. 5*, et **Tertullianum** *De Pudic. Cap. 13* : inde inducta posterius in romana ecclesia cæremonia imponendi cineres in capite jejunii. Cf. **Duchesne** *Origines du culte chrét. Chap. XV.*

2) Alicubi capilli tondebantur pœnitentibus, eisque vestes lugubres imponebantur; huc alludit **s. Augustinus** *Serm. 58 De temp.* **Duchesne** pag. 422.

3) **Tertullianus** *De pœnit. Cap. 9.* Apud **Vizzini** *Bibl. Ser. III.* Vol. II. 121.

4) Pœnitentia quædam publica prius apparet in Occidente, canonica in Oriente : quinimo distinctio pœnitentium in quatuor gradus forte numquam apparet in usu ecclesiæ latinæ. Cf. **Funk** *Storia della Chiesa § 24*; **Duchesne** *loc. cit.* Tamen vide quoque **Pignataro** *De discipl. pœnit.* pag. 87.

sione prævaricationis plurium christianorum in Asia minori. Prima statio *fletus* dicebatur [5]; in qua pœnitentes sacco induti in porticu extra ecclesiam a fidelibus ingredientibus deposcebant, ut pro se precarentur. Secunda erat *auditio* in narthece [6]; ubi lectionem et expositionem Scripturarum audiebant, ac dein, antequam missa catechumenorum fieret, exibant. Tertia erat *substratio*, seu proprie *pœnitentia*: ibi pœnitentes prostrati ac genuflexi jacebant, manuum impositionem cum precibus et certis ritibus accipientes; dein cum catechumenis egrediebantur. Quarta statio *consistentia* dicebatur, seu *communio precum*: ibi pœnitentes cum fidelibus permanebant, precibus et sacrificio adsistebant; at nec offerre poterant, nec de sacrificio participare. Post integrum harum stationum cursum peractum dabatur perfecta communio cum Ecclesia et participatio mysteriorum [7].

Ad rectam pœnitentium moderationem jam ab initio visum fuit episcopis pluribus opportunum, ut specialis sacerdos deputaretur, qui dicebatur presbyter *pœnitentiarius*: at Romæ, et generatim in ecclesiis occidentalibus, hoc munus ipsemet episcopus obibat. Quoad tempus; quamquam Scipio Ricci in synodo pistoriensi edixit pœnitentiam canonicam ad exemplum apostolorum institutam, tamen certum est pœnitentiam proprie canonicam nonnisi labente sæculo III. inductam fuisse. Prius pœnitentia quædam publica apparet in Occidente post medium sæculum II., et plus minus duravit usque ad sæculum IX.: in Oriente a medio sæculo III. extenditur usque ad sæculum VII. circiter: maxime autem rigida viguit ab initio episcopatus s. Basilii (370) ad mortem s. Augustini (430).

Ex historia hujus disciplinæ aliâ viâ Ecclesiam impetunt protestantes, aliâ jansenistæ. Illi contendunt ex institutione hujus pœnitentiæ facta ab Ecclesia ortam esse persuasionem de instituto a Christo sacramento pœnitentiæ [8]: isti, disciplinam antiquæ pœnitentiæ amplificantes, reprehendunt hodiernam romanæ ecclesiæ facilitatem in concedenda pœnitentibus sacramentali absolutione [9]; a qua reprehensione nec abhorrent quidam theologi rigidiores sæculorum XVII. et XVIII. Utrisque nonnihil concedunt recentes critici et theologiæ positivæ cultores; qui, statuentes sæculis illis unicam exstitisse pœnitentiæ rationem,

5) Forte *fletus* posterior est; cum *Canon 11 Epist.* s. Gregorii dubius sit: certe *fletum* habet **s. Basilius** *Epist. canon. ad Amphil.* — Alicubi erant et *hiemantes* sub dio (Synod. ancyr. *Can. 17.*) Cf. **Funk** *Op.* et *loc. cit.*

6) Disputant eruditi ubinam esset narthex: **Garrucci** *Storia dell' arte christ.* I. 22 censet in ecclesiis monasticis fuisse intra portam, in ceteris extra.

7) Apud **Migne** *Patrol. gr.* X. 1042, seqq. Similia **s. Basilius** *Epist. can. ad Amphil.*; **s. Gregorius** nyss. *Epist. can. ad Letojum.* Veterum ecclesiarum ichnographiam habet **Berlendi** *De oblat. comm. § 10.*

8) **Calvinus** *Instit. III. 4*; **Dallæus** *De auric. latin. conf. IV. 24*; **H. Lea** *A history of auric. conf.* (Philad. 1896).

9) **Arnaldus** *Præf.* ad *De freq. comm.* apud **Zaccaria** *Thes. theol.* Tom. X.

eamque publicam [10], consequentias quasdam historico-theologicas inde deducunt doctrinis theologorum, et forte ipsius tridentini concilii, parum conformes [11].

Præcipue contra protestantes et jansenianos investigandam assumimus historiam disciplinæ pœnitentialis : at ex disputatione contra adversarios Ecclesiæ patebit novas quoque criticorum opiniones ipsa certitudine historica destitui [12].

Propositio I. *Eo tempore, quo disciplina publicæ pœnitentiæ vigebat, nulla exsistebat lex universalis, quæ eam determinatis canonibus ubique moderandam esse sanciret.*

Demonstratur. Nulla est lex r. pontificis aut universalis concilii, quæ speciem et durationem pœnitentiæ pro quovis crimine in universa Ecclesia subeundæ determinet: decreta, quæ huc referuntur, sunt aut episcoporum pro sua ecclesia, ut ss. Cypriani, Gregorii, Basilii ; aut particularium conciliorum, ut ancyrani, carthaginiensis, illiberitani. Quod si quidam exstant canones concilii nicæni, hi duo tantum crimina respiciunt, et pro ecclesiis tantum Orientis dati esse videntur : cetera concilia œcumenica de hac disciplina nihil prorsus habent. Decreta vero romanorum pontificum, quandoque hanc disciplinam alicubi vigere supponunt, quandoque normas dant pro ecclesia romana aut aliqua particulari, numquam pro Ecclesia universa [1].

2. Licet hæc disciplina per plura sæcula viguerit, tamen non ubique viguit identica. Et sane : *a*) Quoad *crimina*: hæc generatim tria erant: fornicatio, homicidium, idololatria: at nicænum concilium nec fornicationem ponit, nec homicidium, addit vero crimen illius qui deposito militiæ cingulo militiam dein repetiverit; alicubi pro fornicatione ponitur adulterium ; alibi additur usura, alibi raptus: in quibusdam Africæ ecclesiis ante Cyprianum

10) **Funk** *Kirchenlex.* ad v. *Bussdisc.* ; **Kirsch** in refuso op. **Hergenröther** *Storia della Chiesa Lib. I. P. III. 15* ; **Vacandard** apud **Batiffol** *Études d'hist. et de theol. posit.* pag. 208.

11) **Vacandard** *La penit. publ. dans l' Église prim.*, et *La conf. sacram.* (Paris 1903) ; **Batiffol** *Op. cit.* pag. 43-222 (Paris 1904) ; **Loisy** *Autour d' un petit livre* pag. 245-249.

12) Tractant : **M. Victorius** *De antiquis pœnit.* ; **Sirmondus** *Hist. pœn. publ.* ; **Petavius** *Diatriba de pœnit. vet. in Eccl. ratione* ; **Biner** *De rigore pœnit. sæc. III.* (Hæc apud **Zaccaria** *Thesaurus* XII.); **Natalis** *Sæc. III. Diss. VI.-XI.* et *Sæc. XIII. Diss. XIV.*; **Marchetti** *Critica al Fleury* I. *Art. I. 6.* Inter recentes : **Frank** *Die Bussdisc.* ; **Schmittz** *Die Bussbücher u. Bussdisc.* ; insuper theologi Palmieri, De San, Pesch, etc. in tract. *De pœnit.* ; **Harent** apud *Etudes 1899* 575, seqq. ; **Mattiussi** *Della penit. nei primi secoli* (Monza 1901) ; **Pignataro** *De disciplina pœnit. priorum Eccl. sæcul.* (Romæ 1904).

1) **Petavius** Tract. *De pœnit. L. II. Cap. 8, 13* ; **Marchetti** *Op. cit. 31* ; **Perrone** *De pœnit. Num. 221.*

adulteris pax dabatur, in aliis denegabatur: item, si vera narrat Tertullianus, Romæ usque ad initia sæculi III. mœchis denegata fuit; deinceps decreto Callisti peremptorio concessa [2]: item alia Romæ et Carthagine lapsorum disciplina ante decianam persecutionem; alia posterius. *b*) Quoad *durationem*: in Oriente generatim per plures annos protrahebatur; in Occidente brevior erat, et in diversis ecclesiis varia; Romæ per solam quadragesimam: in ipso Oriente *Constitutiones apostolicæ* supponunt eam septem hebdomadis agendam fuisse [3]; s. Gregorius, et multo magis s. Basilius et concilium ancyranum ad plures annos extendunt; in extremo Occidente concilium illiberitanum ad integram vitam. *c*) Quoad *solemnitatem*: variæ erant cæremoniæ: alicubi nemo inter pœnitentes admittebatur, nisi a cœtu fidelium per scrutinia probaretur, alibi a solo episcopo, vel presbytero pœnitentiario [4]: quatuor pœnitentium stationes a sæculo III. vigebant in Oriente; vix et valde posterius in Occidente: alicubi jubebantur pœnitentes crines tondere; alibi barbam radere et crines tondere prohibebantur: quandoque cilicium et cineres et lugubres vestes iisdem imponebantur; alias sibi relicti simul cum catechumenis a sacra synaxi dimittebantur; alias, præsertim serius, monasteriis includebantur. *d*) Quoad *indolem et rigorem pœnitentiæ*: episcopi singularum provinciarum necessitatibus localibus consulebant; generatim ad indulgentiam proni erant episcopi romani, severiores orientales, severissimi et vix non novatiani hispani. Profecto hæ varietates ostendunt numquam fuisse hanc disciplinam per canones universales sancitam ac definitam.

Inde deduces: 1. Arduum est, et forte impossibile, ex disciplina pœnitentiæ canonicæ determinare quænam tunc fuerit doctrina, quænam praxis Ecclesiæ circa sacramentum pœnitentiæ.

2. Contra hodiernam benignitatem romanæ ecclesiæ in sacramento pœnitentiæ administrando inepte janseniani et rigoristæ appellant ad rigorem veteris disciplinæ pœnitentialis; eo magis, quod numquam rigida fuit ecclesia universa, numquam ecclesia romana; sed una vel altera ecclesia particularis, et quidem ex particularibus motivis temporum et locorum.

Propositio II. *Non pro omnibus peccatis mortalibus imponebatur publica pœnitentia* [1].

Demonstratur. I. Quotiescumque patres vel decreta conciliorum exhibent crimina publicæ pœnitentiæ obnoxia, generatim tria tantummodo ponunt: idololatriam, homicidium et fornica-

2) **Tertullianus** *De pudicitia Cap. 1, 13.*
3) Cf. **Duchesne** *Origines ... Note 1* ad pag. 420 (Utimur Edit. 1).
4) **Duchesne** *Op. cit.* 429; **Martene** *De ant. Eccl. rit. Lib. I. Cap. VI. 4.*

1) Propositio maxime est contra Arnaldum. Confer, præter alios, **Francolinum** *De discipl. pœnit.* et *Cler. romanus*; **Petavium** *Libri VIII. De pœnit.*

tionem. Ita Tertullianus, s. Cyprianus, canones conciliorum illiberitani, ancyrani et neocæsareesis; ita et patres posteriores, s. Gregorius nyssenus, s. Basilius, s. Augustinus et alii.

2. Patres et concilia excludunt plura peccata mortalia ex censu eorum, quæ publicâ pœnitentiâ mulctabantur: s. Gregorius nyssenus testatur avaritiam, usuram et furtum occultum relicta esse a patribus absque medela publicæ pœnitentiæ [2]; s. Basilius testatur ante sua tempora non fuisse publicâ pœnitentiâ mulctatum crimen raptus [3]; s. Augustinus plura peccata enumerat, quæ non erant publicæ pœnitentiæ obnoxia [4]. Ex concilio laodiceno apparet non fuisse publicæ pœnitentiæ obnoxium ubique crimen hæresis, et idolothytorum esum [5]: profecto hæc omnia sunt peccata mortalia. Peccata illa graviora, quæ erant huic disciplinæ obnoxia, ab eruditis dici consueverunt *canonica*.

Inde deduces: Cum confessio publica peccatorum elementum esset publicæ pœnitentiæ, patet nec omnium peccatorum mortalium fuisse umquam impositam publicam confessionem. Quod et propriis argumentis confirmatur, tum negativis, tum positivis [6].

Objicitur: 1. Celebris est locus Tertulliani: « Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit » [7]; porro loquitur de pœnitentia publica.

Respondeo eum loqui de pœnitentia in genere, prout virtus est, quam Deus præcepit. Sic enim prosequitur: « Pœnitentia vita est, cum præponitur morti . . . De bono pœnitentiæ unum inculcamus; bonum atque optimum esse quod Deus præcepit . . . At enim ille non præcipit tantum, sed hortatur, invitat præmio, salute; jurans etiam: Vivo, dicens: cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus! »

2. Triplicem pœnitentiam tantummodo novit s. Augustinus: antebaptismalem, quotidianam, et publicam: porro ad quotidianam non spectant, nisi peccata venialia; ergo omnia peccata mortalia post baptismum commissa subjiciebantur pœnitentiæ publicæ: « Tres sunt actiones pœnitentiæ usitatæ in Ecclesia Dei. Una est, quæ novum hominem parturit. Altera est, cujus actio per totam vitam perpetua supplicationis (orationis domi-

2) Testimonia plura apud **Pignataro** pag. 83, sequ.

3) **S. Gregorius** *Epist. ad Letojum*; **s. Basilius** *Ad Amphil. Can. 30.*

4) Cf. **s. Augustini** *Enchiridion Cap. 80, Epist. ad Aurel. 64, Lib. 83 quæst. qu. 26., De fide et oper. Cap. 26*, etc. Loquitur quidem de sua ætate, sed ita ut appareat eumdem morem diu antea viguisse.

5) Concilium laodic. *Can. 7.* Cf. et **s. Athanasium** *Epist. ad Ruf.*; **s. Leonem** *Ep. 92. ad Rust.*, apud **Natalem** *Sæc. III. Dissert. VI. Ass. I. 1.*

6) S. **Leo** *Epist. ad epp. Campaniæ*, et Conc. trid. *Sess. XIV. Cap. 5.*

7) **Tertullianus** *De pœnit. 4.* Commentatur *Ezech. XVIII. 32*, quem sic legebat: « Vivo, inquit Dominus, et pœnitentiam malo, quam mortem ».

nicæ) humilitate subeunda est. Tertia actio est pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet » [8].

Respondeo: S. Augustinus ibi loquitur de pœnitentia tum publica, tum privata. Sane de tertia illa pœnitentia hæc docet ibidem: « Implicatus ergo quis tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cœlo, et audet sibi post hanc vitam, quia tantum christianus dicitur, salutem aliquam sibi polliceri! . . Judicet ergo seipsum homo; . . . et, cum ipse in se protulerit severissimæ medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, . . . et a præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum . . . Id agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum; ut, si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videatur antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset ». Loquitur ergo Augustinus de pœnitentia, quæ potest esse privata vel publica ex arbitrio antistitis [9].

Propositio III. *Publicæ pœnitentiæ non subjiciebantur rei peccatorum, quæ canonica dicuntur, si hæc occulta fuissent.*

Demonstratur. I. Admitti nequit fuisse publicæ pœnitentiæ ex lege Ecclesiæ subjecta peccata occulta, nisi hoc evidenter probetur; atqui hoc evidenter non probatur. — *Minor* patebit ex solutione difficultatum. — *Major* vero sic probari potest: *a*) Est *contra regulam apostolicam* et *contra evangelicam caritatem*, invitis peccatoribus, prodere in publicum eorum peccata occulta [1]; porro per publicam pœnitentiam, licet forte non manifestaretur species infima, manifestabatur tamen genus peccati gravissimi, quod certe lædit hominis honorem et famam; ergo talis lex Ecclesiæ admitti non potest, nisi evidenter demonstretur. Et sane hæc s. Augustinus dicebat catechumenis: « Illi, quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania » [2]. Quare, si qui innocentes ex humili contritione se sua sponte publicæ pœnitentiæ subjiciebant, hi pauci prorsus erant, adeo ut et ipsi peccatores existimarentur.

8) **S. Augustinus** *Homil. 4.* inter *50.* Similia habet *Homil. 27, De symbolo ad catech. Cap. 7, 8.* etc. Adverte quod confessio venialium valde, et forte nimis, rara erat: hinc abusus, contra quos s. Jo. Chrysostomus aliique patres sæpe reclamant. Cf. **Jungmann** *Dissert. hist. eccl. VIII. 61.*

9) De his aliisque difficultatibus ex s. Augustino depromptis confer optime disputantem **Natalem** *loc. cit.*

1) Ita sane **s. Augustinus** *Serm. 82,* et **s. Leo M.** *Epist. ad epp. Campaniæ.*

2) **S. Augustinus** *De symb. ad catech. 7.* Cf. **Pignataro** pag. 64-72.

Accedit *b*) quod per hanc disciplinam rei manifestarentur civili potestati, aut certe indicia et suspiciones præberentur, quibus probari possent delicta: porro talis Ecclesiæ lex admitti non potest, nisi evidentissime demonstretur.

2. Tempore s. Augustini peccata occulta non subjiciebantur publicæ pœnitentiæ. Sane *a*) finem publicæ pœnitentiæ sic ipse tradit: « Recte constituuntur ab iis, qui ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, *ut fiat satis etiam Ecclesiæ* ». *b*) Idem dicit homicidam et adulterum, quorum crimen fuerit occultum, corrigendos esse ab episcopo in secreto [3]. Porro hæc omnia testatur Augustinus, tamquam universali Ecclesiæ consuetudine custodita.

3. Eamdem antiquam consuetudinem nobis ostendit s. Basilius: « Adulterio pollutas mulieres, et confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus; eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ » [4]. In quem canonem Balsamon advertit: « Qui enim videret extra divinos ecclesiæ ambitus stantes, vel etiam cum catechumenis exeuntes, primo aspectu omnino intelligeret propter adulterii crimen eam illis pœnam injunctam, et fieret punitio causa mortis » [5]. Consentit Sozomenus; qui, antequam enarret factum Nectarii, dicit usum fuisse ab initio ut eligeretur presbyter vitæ integritate spectatissimus et taciturnitate ac prudentia pollens, ad quem ii, qui deliquerant, actus suos confiterentur [6]. Ergo confessio omnium peccatorum, etiam canonicorum, fiebat apud sacerdotem secreti tenacem; a quo, ait ut s. Augustinus, peccatores pro diversitate peccatorum acciperent *satisfactionis suæ modum*. Scilicet, ex eodem Sozomeno, sacerdos ille « *pro uniuscujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret pœnæ loco indicens*, absolvebat pœnitentes »: ipsius ergo erat pœnitentes sacramentaliter absolvere, et simul decernere num peccata eorum publicâ, an privata satisfactione expianda essent.

4. Pro sæculo III. idem mos comprobatur ex Origene, juxta quem, officium erat sacerdotis confessionem omnium peccatorum excipere, ac dein decernere, num languor singulorum confitentium talis esset, qui in conventu totius ecclesiæ exponi vel curari deberet, an non. Confirmatur quoque ex s. Cypriano, pro quo peccatorum confessio anterior est exomologesi proprie dicta. Pro sæculo sequenti idem confirmant monita et ratio agendi s. Ambrosii cum peccatoribus apud ipsum sua peccata confitentibus [7].

3) **S. Augustinus** *Enchir. Cap. 65.* et **Faure** in *h. l.* — Insuper *Serm. 82.*
4) **S. Basilius** *Ad Amphil. Can. 34.* Idem de furto secreto habet **s. Gregorius** nyss. *Ep. Can. 6.*
5) Apud **Roncaglia** *Ad Nat. Alex. Sæc. III. Diss. VI. Qu. II. Prop. 2.*
6) **Sozomenus** *Historia eccles. Lib. VII. Cap. 16.*
7) Testimonia dabimus inferius. Interim cf. **Vacandard** *La conf. sacram. Chap. III.*

Si hæc omnia simul comparentur, patet publicam peccatorum omnium, etiam occultorum, confessionem et pœnitentiam, potuisse quidem peccatoribus a sacerdote ad modum consilii proponi, numquam vero fuisse ad modum præcepti per leges Ecclesiæ impositam.

Videamus modo quænam argumenta in contrarium proferunt Morinus et Natalis [8]. — 1. *Objiciunt* testimonium Tertulliani, cujus sensum superius exposuimus.

2. *Affertur* testimonium s. Ambrosii: « Si quis occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose pœnitentiam egerit; quomodo istic (*al.* ista) recipit, si ei communio non refunditur? Volo veniam reus speret, petat cum lacrimis, petat cum populi totius fletibus, ut ignoscatur obsecret; et cum secundo et tertio dilata fuerit ejus communio, credat remissius se supplicare » [9]. Hic agitur de peccatoribus, qui crimina occulta perpetraverant, et tamen illis publica injungitur pœnitentia.

Respondemus: *a*) Cum ibi agat s. Ambrosius contra novatianos, contendit generatim omnibus peccatis, peractâ pœnitentiâ, veniam concedendam esse: ergo non tria tantummodo, sed omnia peccata mortalia dicenda essent obnoxia publicæ pœnitentiæ. Igitur *b*) loquitur s. Ambrosius de iis, qui propter Christum *studiose* pœnitentiam agebant; hoc est sponte se publicæ pœnitentiæ subjiciebant. Quin imo *c*) ipso modo loquendi (*tamen*) satis innuit eos, qui peccata occulta commiserint, non fuisse ex lege Ecclesiæ adactos ad eam pœnitentiam subeundam. *d*) Quomodo autem se gereret s. Ambrosius cum iis, quorum confessiones excipiebat, referre juvat ex Paulino: « Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum reliquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum sint, magis quam accusatores apud homines » [10].

3. *Affertur* responsio Innocentii I. ad Victricium: « Quæ Christo spiritualiter nupserunt et velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clamculo corruperint, (decernimus) eas non esse admittendas ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de sæculo recesserit » [11].

Respondemus: *a*) Si argumentatio valet, eidem pœnitentiæ subigebantur virgines, quæ publice nupserant, et quæ se clamculo corruperant: porro id nemo concedet. Itaque *b*) quæstio Victricii non erat, utrum hæ virgines sacrilegæ subjici deberent publicæ

8) Præter **Arnaldum** *De frequ. comm. P. II. Cap. 3*, vide **Morinum** *De admin. Pœnit. Lib. V. Cap. 26*; et **Natalem** *Dissert. IV. Quæst. II. Prop. I.*: contra quem cf. **Roncaglia** *loc. cit.* **Biner** *De rigore pœnit. Cap. 3.*

9) **S. Ambrosius** *De pœnit. Lib. I. 16.* Tom. IV. 526. (Edit. Mediol. 1879). Cf. ibidem *Notam* contra Dallæum.

10) **Paulinus** *Vita s. Ambrosii.* Inter Opp. s. Ambrosii Tom. VI. 900.

11) Apud **Coustant** *Epp. rr. pp.* 754.

pœnitentiæ, sed utrum admittendæ essent ante mortem corruptoris; ad hanc quæstionem respondet Innocentius: qualitas enim pœnitentiæ jam per consuetudinem Ecclesiæ determinata erat; ut scilicet peccata publica per publicam pœnitentiam expiarentur, occulta per occultam. Neque *c*) evidens est crimen earum, quæ se clamculo corruperint, esse crimen occultum.

4. *Publica pœnitentia* statuta erat quoque pro homicidis: at non pro publicis; nam hi a potestate civili morte mulctabantur: ergo pro occultis.

Respondemus: *a*) Ergo Ecclesia prodebat homicidas publicæ auctoritati, aut saltem gravia indicia et argumenta eidem præbebat! *b*) Aliquando rei etiam notorii pœnam capitis evadebant, sive pecuniâ principi aut parti læsæ solutâ, sive intercessione episcoporum sub imperatoribus christianis, aut etiam ad Ecclesiam confugiendo [12]; et non raro pœna civilis pœnâ ecclesiasticâ commutabatur. *c*) Canones illi norma esse poterant, qua presbyteri pœnitentiam secretam adsignarent homicidis occultis.

5. *Canones* jubent mitius agi cum sponte confessis, quam cum convictis; sed non distinguunt delicta publica a non publicis.

Resp.: Ad primam partem: Jubent mitius agi cum sponte confessis in foro judiciali et externo, quam cum convictis, *conc.*: jubent mitius agi cum iis, qui sponte apud sacerdotem in foro interno sua peccata confitentur, quam cum convictis, *nego* [13]. Ad alteram partem: *a*) Argumentum est negativum. *b*) *Ad hominem*: Peccatum publicum graviori pœna plecti debet, quam occultum, propter scandalum; ergo, si publicæ pœnitentiæ subjiciebantur etiam peccata occulta, patres inter publica et occulta, inter pœnas illis et istis debitas distinguerent: porro nullibi distinguunt. Inde deduces ipsa peccata canonica, si erant occulta, non fuisse ex lege Ecclesiæ subjicienda publicæ confessioni; cum hæc pars esset disciplinæ pœnitentiæ canonicæ [14].

Scholion I. Præter ea, quæ diximus de hujus disciplinæ varietate, ac de limitato ejusdem objecto, alia innuere juvat, quæ ipsius gravitatem et severitatem adhuc imminuant. Scilicet: *a*) Pœnitentiæ publicæ non adigebantur clerici majores, saltem

12) Cf. concilium rhem. *Can. 6.* et *Novellam* imperatoris Commeni apud **Zaccaria** *Dissert. proleg.* ad *Theol. mor. s. Alphonsi P. I. Cap. II. § 2.*

13) Cf. **Faure** *In Enchir. 82*; **Duchesne** *Op. cit. Chap. XI.* ab initio; **Jungmann** *VIII. 11.* Ceterum non negabimus potuisse obrepere abusus; quare sæculis VII. et VIII. cœperunt canones apte distinguere inter crimina publica et occulta, hæc expresse a publica pœnitentia subducentes.

14) Cf. **Palmieri** *De pœnit. Thesi XXXV.*; in qua nedum theologice, sed et historice rem definit. Item **Frank** *Op.* et *loc. cit.*; **Pignataro** pag. 64, seqq.

a sæculo IV. [1]; *b*) nec conjugati, virgines Deo dicatæ, juniores, saltem pluribus in ecclesiis [2]. *c*) Omnia adjuncta satis probant hanc disciplinam magis fuisse consuetudine inductam, quam legibus; plerumque Ecclesiam consilia, potiusquam præcepta, dedisse [3]. Porro, si hæc cum præcedentibus conferantur, licebit hæc consectaria deducere: 1. Jure et prudenter potuit Ecclesia hanc pœnitentiam in parte et ex integro abrogare, quando mutatæ temporum conditiones eam potius nocivam, quam utilem reddiderunt. — 2. Male et non absque perfido consilio, tentarunt janseniani eamdem sæculo XVII. restituere [4]. — 4. Inepte volunt iidem, ut ad normas hujus disciplinæ ecclesiasticæ tam variæ et limitatæ, et magis permissæ quam impositæ, expendatur methodus administrandi sacramentum pœnitentiæ, quod, a Christo institutum, omnibus omnino peccatoribus necessarium est absolute ad justificationem et ad salutem æternam.

II. Verum fraus jansenistarum in eo maxime residet, quod contenderint, et nonnullis catholicis persuaserint, in primitiva Ecclesia administrationem sacramenti pœnitentiæ adeo fuisse cum ea disciplina connexam, ut iisdem normis regeretur, quibus regebatur ista, etiam relate ad sacramentalem absolutionem [5]. Huc spectant *Propositiones* sequentes; in quibus quædam forte dicturi sumus, quæ non omnibus probabuntur. At advertere licet tot esse in hac re eruditorum opiniones, ut nihil forte dici queat, quod apud aliquem catholicum scriptorem non inveniatur [6].

Ut clare procedamus, præmittimus quasdam auctorum sententias, quæ nobis cautius considerandæ videntur.

1. Quærunt in quonam pœnitentiæ gradu concedi soleret pœnitentibus sacramentalis absolutio. Petavius censet eam dari consuevisse in tertio gradu, nempe in substratione [7]; Natalis contendit lege ordinaria eam non fuisse concessam, nisi post peractum integrum cursum pœnitentiæ [8]; et hæc opinio, quæ maxime arridet Arnaldo, Quesnello, Pistoriensibus et semijansenianis et theologis rigoristis, probabilis est ipsi Petavio.

2. Quærunt utrum iis, qui, peractâ publicâ pœnitentiâ, eadem vel graviora crimina commiserint, iterum pœnitentia et absolutio

1) Cf. **Natalis** *Sæc. III. Dissert. XI. Prop. II.*, et melius **Coustant**, qui id negat etiam quoad sæcula præcedentia *De pœnit. cler.* apud **Zaccaria** *Thesaur.* XII. 191-195. Idem demonstrat **Batiffol** *Op. cit.* pag. 169-177.

2) Cf. **Perrone** *De pœnitentia. Num. 220.*

3) Cf. **Jungmann** *VIII. 14*; **Pignataro** *Prop. II. § 2.*

4) Ita parochus Duhamel, de quo **Arnaldus** *Præf. De frequ. comm. 37.*

5) Ita in primis **Arnaldus** *De frequ. comm. P. II.* passim.

6) Sequimur in primis **Palmieri** *De pœnitentia.* In eumdem sensum contra Albaspineum, Morinum, Natalem et alios, scripserant **Orsi** *De capital. crim. absolutione,* **Biner** *Op. cit.*, **Faure** *In Enchir. s. Augustini,* etc.

7) **Petavius** *Diatr. cit.*, qua doctissimus vir illustravit *hær. 59* s. Epiphanii.

8) **Natalis** *Sæc. III. Dissert. IX. Prop. 1.*; **Tournely** *De sacram. pœnit. Qu. VII. art. 3*; **Arnaldus** *Op. cit. P. II. 8*; Synodus pistor. *Prop. 34, 35*; etc.

concederetur. Respondent fere omnes negative ad utrumque [9]: censet tamen Natalis his recidivis, qui secundam pœnitentiam postulabant, eam concessam fuisse in morte, et simul cum pœnitentia etiam sacramentalem absolutionem.

3. Quærunt utrum quibusdam reis in morte quoque denegari consueverit absolutio: et censent eam lege ordinaria negatam fuisse illis, qui tantummodo in infirmitate petierint pœnitentiam; item graviorum criminum reis et quibuscumque relapsis [10].

III. Advertimus documenta, in rem nostram, ad priora duo sæcula pertinentia, paucissima esse et, usque ad Tertullianum *inclusive*, obscurissima; posteriora quidem plura esse, at profecto, in præsenti quæstione, non clara [11]. Hinc, ubi res cum catholicis scriptoribus est, censemus potiori jure nobis fas esse ad conclusiones historicas etiam per argumenta theologica tendere, appellando non solum ad magisterium, sive solemne, sive ordinarium Ecclesiæ, sed ad sententias quoque communiter apud theologos receptas, quibus nihil certius proferent documenta historica nude et in se tantum spectata. Ceterum patebit sententiis apud theologos communibus ipsa documenta historica apprime cohærere. — Antequam quæstiones propositas aggrediamur, tres *Assertiones* præmittimus.

I. *Nomen* pœnitentiæ *(proinde et verbum* pœnitere*) saltem duplici sensu accipitur a patribus: aliquando est dispositio ad absolutionem, aliquando vero est satisfactio.*

Quod *pœnitentiæ* nomen possit significare utrumque, res est evidens per se, et manifesta ex usu quoque fidelium. At multo clarius duplex hæc significatio elucet in usu patrum et conciliorum. Utraque simul apparet in *Can. 2* concilii toletani 3: « Jubemus, ut secundum formam antiquorum canonum detur *pœnitentia* (satisfactoria); hoc est, ut prius eum quem *pœnitet* facti (qui dolet de peccato) a communione suspensum faciat inter alios pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere » [12]. Item ex verbis s. Augustini: ad emendationem vitæ « parum est peccatorem *pœnitere*, nisi *pœnitentiam* peregerit » [13]. De prima ita s. Ambrosius: « Manifestissime Domini prædicatione mandatum est, etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde et

9) **Morinus** *V. 27*; **Vacandard** *La conf. Chap. V.*; **Batiffol** pag. 177-191, juxta quem Ecclesia iis viaticum *in extremis* concedebat, quia habebat eos Deo per sua opera satisfactoria reconciliatos.

10) Ita **Morinus** *Lib. X. 1*; **Natalis** *Dissert. VII. Prop. I.*; de reis graviorum criminum **Sirmondus** *Hist. pœnit. publicæ. Cap. 1.* Inter recentes **Batiffol** *Op. cit.* pag. 221.

11) Dicimus: « *in præsenti quæstione* ». In controversia enim cum protestantibus documenta ea in suo complexu clara sunt.

12) Apud **Labbeum** VI. 708. Vide infra *Can. 5* synodi agathensis.

13) **S. Augustinus** *Serm. 57 De tempore*; vide et *Serm. 144* inferius.

manifesta confessione peccati *pœnitentiam* gerant, sacramenti cœlestis refundendam esse gratiam ». De altera : « Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint *pœnitentiam* » [14].

Liquet *pœnitentiam* primo sensu acceptam esse animi dolorem de peccato commisso ; altero sensu esse opera externa satisfactoria ; hæc autem tum secreta, tum publica esse posse. Pœnitentia, sive prout est dolor, sive prout designat opera satisfactoria secreta, pertinet tantummodo ad forum internum : prout vero designat opera satisfactoria publica, pertinet ad utrumque forum, et internum et externum ; per hæc enim satisfit Deo et etiam Ecclesiæ. Qui postremo hoc modo agunt pœnitentiam, proprie *pœnitentes* in historia hujus disciplinæ dicuntur [15].

2. *Cursui publicæ pœnitentiæ præmittenda erat confessio omnium peccatorum ; quæ confessio judicialis et sacramentalis erat.*

Sane: *a*) Id exigit ipsa natura processus pœnitentialis. *b*) Idem indicant Origenes, Augustinus, Sozomenus et alii, quoties de ordine publicæ pœnitentiæ loquuntur. Quin *c*) et iidem clare indicant materiam hujus confessionis fuisse peccata omnia ; cum expresse dicant sacerdotis fuisse pro uniuscujusque peccati gravitate et qualitate modum ac tempus pœnitentiæ determinare. Quapropter per eam confessionem pœnitens a sacerdote quærebat pœnitentiam suis peccatis convenientem ; at simul et confessionem et impetratam pœnitentiam ordinabat ad habendam a sacerdote (*eodem* aut *alio* : modo non quærimus) suorum peccatorum condonationem coram Deo. Ergo ea confessio erat judicialis et sacramentalis [16] ; dum tota disciplina pœnitentiæ canonicæ ad sacramentum pœnitentiæ spectabat sub ratione sacramentalis satisfactionis.

Relate ad publicam peccatorum canonicorum confessionem, collatis documentis, alia et alia videtur fuisse diversarum ecclesiarum praxis. Alicubi inter cetera elementa publicæ pœnitentiæ imponebatur explicita eorum peccatorum confessio coram episcopo et presbyterio, et forte ipso cœtu fidelium : alibi vero ipsa pœnitentia, eo quod publica erat, implicite erat publica manifestatio quod pœnitens ille crimen canonicum patraverat, juxta quod catechumenis dicebat s. Augustinus : « Illi, quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania ». Inde est, quod *exomologesis* aliquando confessionem significat, et non semper eamdem, aliquando complexum exercitiorum pœnitentialium.

14) **S. Ambrosius** *De pœnit. Lib. II. Cap. 3, 9.*

15) **S. Augustinus** *Homil. 27* inter *50* (al. *Serm. 352*) ; Conc. tolet. I. *Can. 2.* Cf. **Palmieri** *Esame d'un opuscolo il quale gira intorno ad un piccolo libro* pag. 129 (Roma 1904).

16) In hac re consentientes habemus recentes criticos.

3. *Peccatores ab eo tempore, quo publicam pœnitentiam accipiebant, præsumi poterant sufficienter dispositi ad sacramentalem absolutionem accipiendam.*

Sane *a*) pœnitentialem satisfactionem et acceptaverant et obibant; *b*) sua peccata jam judicialiter et sacramentaliter confessi fuerant; *c*) habebant voluntatem satisfaciendi. Porro ex Christi voluntate nihil amplius præter tria hæc requiritur ad accipiendam sacramentalem absolutionem: non enim est ullo modo necessarium, ut opera satisfactoria absolutioni præmittantur. Ergo jam ab acceptata pœnitentia publica præsumi poterant ad sacramentalem absolutionem dispositi; quamvis ad absolutionem canonicam jus generatim non haberent, quousque integrum pœnitentiæ canonicæ cursum non peregissent.

Propositio IV. *Impositio manûs, quæ fiebat super publicos pœnitentes, non erat sacramentalis absolutio.*

Demonstratur. Triplex erat impositio manûs (vel manuum) in cursu pœnitentiæ canonicæ [1]. Quando peccator a suis peccatis recedens pœnitentiam petebat, siquidem eâ dignus haberetur, per hanc cæremoniam in censu pœnitentium admittebatur [2]: jam per eam significabatur eum a peccatis recessisse, et saltem desiderio cœtui fidelium adunari. Iterum pœnitentibus manus imponebantur in tertia statione; et hæc altera impositio in variis ecclesiis varia erat: alicubi manus pœnitentibus ab episcopo et clero toties imponebantur, quoties post catechumenos ejiciebantur ab ecclesia [3]; alibi per hanc alteram impositionem transferebantur a substratione, quæ erat pœnitentia proprie dicta, ad consistentiam; quare per eam reconciliabantur pœnitentes Ecclesiæ, adeo ut possent cum ceteris fidelibus sacrificio eucharistico adsistere. Tertio iterum manus imponebantur, postquam functi essent integro cursu pœnitentiæ; et per hanc manuum impositionem reconciliabantur cum Ecclesia perfecte; ita ut ab omni pœna coram Ecclesia solverentur, et permitterentur non modo sacrificio adsistere, sed de illo quoque participare [4].

Hoc posito: *a*) Certe non erat absolutio ea manus impositio, quæ fiebat ab initio: in hoc omnes consentiunt; et ex eo etiam patet, quod saltem in ecclesia romana numquam talis cæremonia fieret super diaconos et presbyteros, quamvis crimina canonica

1) **Sirmondus** *Hist. pœnit. publ. VII.*; ex eo **Palmieri** *De pœn. Schol.* post *Thes. XIV.*: advertit hic mentionem communiter fieri *manûs*, non *manuum*.

2) De ea synodus agathensis *Can. 5*: « Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum et cilicium super caput a sacerdote consequantur ». Item **s. Leo M.** *Epist. ad Rusticum*; etc.

3) De ea synodus laodicena *Can. 19*; item toletana 3 *Can. 2*, et **s. Augustinus** *Serm. 144 De tempore*: « Abundant hic pœnitentes; quando illis manus imponitur, fit ordo longissimus ».

4) De hac synodus arausicana 1 *Can. 3*, carthaginiensis 4 *Can. 78*, etc.

admisissent. *b*) Quoad alteram, certe non erat absolutio ea impositio, qua pœnitentes a cœtu fidelium dimittebantur ; at *c*) neque ea, qua alibi admittebantur ad consistentiam ; cum unicus ejus effectus hic esset, ut pœnitentes permitterentur adsistere sacrificio, non autem de eodem participare. Dubitatio gravior movetur circa eam manûs impositionem, quæ post ultimam stationem fiebat ; de qua ita propositionem nostram demonstramus :

1. Manûs impositio pars erat pœnitentiæ canonicæ ; atqui tota pœnitentia canonica ad sacramentum pœnitentiæ spectabat sub ratione satisfactionis ; ergo ea non erat sacramentalis absolutio.

2. In casu necessitatis, absente tum episcopo, tum presbytero, manus imponi poterat a diacono, et hæc manus impositio data a diacono eosdem effectus habebat, ac si data fuisset a presbytero vel episcopo ; atqui a diacono dari non poterat sacramentalis absolutio. *Major* patet ex noto testimonio s. Cypriani : « Si presbyter repertûs non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint ; ut, manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace » ; h. e. cum Ecclesia reconciliati, et Eucharistiæ viatico refecti. *Minor* iis, quibuscum agimus, certa est.

3. Pœnitentibus dari poterat communio eucharistica, licet eis non fuerint manus impositæ ; atqui incredibile est quod ex lege Ecclesiæ dari potuerit Eucharistia illis, qui peccata mortalia commiserint, absque sacramentali absolutione. *Major* probatur ex decreto cleri romani, quod statuit subveniendum esse, seu concedendam esse pacem et communionem eucharisticam moribundis, quando, deficiente episcopo, præmitti nequit manûs impositio illis, qui, acta pœnitentia, dolentis ac pœnitentis animi signa prodebant [5]. Item ex *Can. 5.* concilii arausicani : « Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta (nondum expletâ), placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari ; quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones patrum (nicænorum), qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentiæ, ut, ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manûs impositione percipiant » [6]. *Minor* probabitur inferius : interim advertatur quod concilium nullo modo supponit deesse presbyterum ; porro quis sibi persuadeat talem fuisse disciplinam Ecclesiæ, ut presbyter daret pœnitenti moribundo communionem eucharisticam, cui non antea dederit sacramentalem absolutionem ? [7].

5) *Epist. 31* inter *Cyprian.* circa finem.

6) Conc. arausicanum I (a. 441) *Can. 3* apud **Labbeum** Tom. IV. 702.

7) Ergo hæc impositio manus non erat absolutio sacramentalis, sed eam jam datam supponebat. Adverte quod « in Ecclesia Dei *semper custoditum fuit,* ut nulla sit reservatio in articulo mortis, ne hac ipsa occasione (reservationis) aliquis pereat ». Conc. trid. *Sess. XIV. Cap. 7.*

Dices: Per manus impositionem dabatur pœnitentibus jus ad communionem eucharisticam: porro tale jus datur per sacramentum pœnitentiæ.

Respondeo: Licet nemo accedere possit ad communionem, nisi per sacramentalem absolutionem a peccatis constitutus sit in gratia, tamen potest aliquis esse in gratia, et simul privarii jure communicandi per legem Ecclesiæ; ratio est, quia administratio sacramentorum a Christo commissa est Ecclesiæ. Porro lex erat Ecclesiæ, ut ad participationem mysteriorum non admitterentur illi, qui propter crimina a communione Ecclesiæ fuerant in foro externo separati, donec per publicam pœnitentiam Ecclesiæ satisfacerent, et, accepta manus impositione, Ecclesiæ etiam in foro externo reconciliarentur. Jus istud plenum communicandi dicitur *pax* a s. Cypriano; a patribus posterioribus *participatio de altari* vel *communio dominica*, aliquando etiam simpliciter *communio*; dum e contra apud s. Cyprianum hoc nomen significat reconciliationem primam cum Ecclesia.

Quid erat ergo tertia *impositio manûs*? — Erat reconciliatio perfecta, tollens omne debitum pœnæ coram Ecclesia, et jus afferens completum participandi de altari. Minister ordinarius et proprius hujus reconciliationis erat episcopus vel presbyter pœnitentiarius [8]; in casu autem necessitatis delegari poterat quivis presbyter vel diaconus. Imo, si quando pœnitens oppressus fuisset infirmitate in cursu pœnitentiæ et exitus urgeret, hæc manus impositio supplere poterat defectum præcedentis: utraque tamen legitime iteranda erat, si infirmus revaluisset [9].

Propositio V. *Admitti nequit talem fuisse primitivæ Ecclesiæ disciplinam, ut tantummodo in tertio vel in quarto gradu pœnitentibus absolutio sacramentalis concederetur.*

Propositio hæc directe impetit jansenianos, qui contendunt ipsam sacramenti pœnitentiæ naturam, prout est a Christo Domino institutum, exigere, ut absolutio non nisi post peractam satisfactionem concedatur [1]; simul tamen est contra opiniones quorumdam doctorum catholicorum, qui, licet eam damnatam

8) Functio erat episcopalis, præsertim Romæ. Attamen Marcellus « xxv titulos in urbe Roma constituit, quasi diœceses, propter baptismum et pœnitentiam ». **Duchesne** *Lib. pontif.* I. 164. Scilicet eis demandavit præparationem catechumenorum ad baptismum, et pœnitentium ad solemnem reconciliationem. Ita ea verba accipienda esse docent **Batiffol** *Études* pag. 148, 149, **Duchesne** pag. 165.

9) Vide *Canones 76* et *78* concilii carthaginiensis 4. (a. 398).

1) Ita **Arnaldus** *Op. cit. P. II.*, et ex eo *Prop. 16, 17* damnatæ ab Alexandro VIII.; item *Prop. Quesnelli 87, Pistor. 34, 35*; etc.

propositionem non teneant, ad illam inclinant [2]. Interim adverte publicos pœnitentes jure potuisse præsumi dispositos jam ab initio integri cursus pœnitentiæ ; et sententiam esse communem theologorum, quod in præsenti œconomia justificatio communiter obtinetur per actualem susceptionem sacramenti pœnitentiæ ; adeo ut peccatores, præsertim graviorum criminum rei, raro justificentur per actum contritionis perfectæ.

Demonstratur. I. *Indirecte* : Talis Ecclesiæ disciplina admitti non potest, nisi evidenter demonstretur : atqui evidenter non demonstratur. *Major* patet ex prædictis. *Minor* sic probari potest : Argumenta, quæ pro ea disciplina afferuntur, supponunt duo : *a*) Impositionem manuum (quæ in tertio aut quarto gradu dabatur) esse sacramentalem absolutionem ; *b*) communionem cum Ecclesia, et pacem, seu jus ad communionem eucharisticam, fuisse effectus necessarios sacramentalis absolutionis : atqui duo hæc gratuita sunt, et falsa. Quinimo ut falsa habentur ab ipso Natali, alias quæstiones agente : « Respondeo manûs impositionem diaconis illo canone prohibitam, non esse absolutionem, sed impositionem manuum cæremonialem in pœnitentia solemni, de qua s. Cyprianus loquitur, cum ait, pœnitentes per manûs impositionem episcopi et cleri jus fraternitatis accepisse ». Et paulo antea : « Falsum est quod innuit vir eruditus (Morinus), jus illud (communicandi Eucharistiæ) dari non potuisse, nisi virtute sacramentalis absolutionis » [3].

2. *Directe.* 1. Pœnitentes jam acceperant sacramentalem absolutionem, antequam reconciliarentur per impositionem manuum : porro hæc reconciliatio fiebat in tertio, aut in quarto gradu.

Probatur *major* : Communio eucharistica tribui ex lege aliqua Ecclesiæ non poterat peccatoribus, qui nondum sacramentalem absolutionem accepissent ; atqui lege Ecclesiæ dari communio poterat ante manuum impositionem : ergo antequam manus imponerentur jam acceperant pœnitentes sacramentalem absolutionem. *Major* patet ex interpretatione data ab Ecclesia verborum Pauli *1. Cor. XI. 28* : « Probet autem seipsum homo ; et sic de pane illo edat et de calice bibat » [4]. Porro « sensus Ecclesiæ

2) In primis **Natalis** *Sæc. III. Diss. IX. Prop. I.* Quin **Juveninus** *De sacram. Diss. VI. Qu. VII. 6* hæc habet historice in suum scopum : « Vetus Ecclesia nullam habuit rationem periculi (mortis æternæ), cui videbantur exponi illi, quibus differebat absolutionem ; nec id eam deterruit, ne omnibus (sic) post baptismum peccantibus gravissimos labores imponeret, antequam eos donaret reconciliatione ». Similia Genettus, Merbesius et alii, qui vellent canones antiquos pœnitentiales a confessariis cognosci et in usum revocari.

3) **Natalis** *Sæculum III. Dissert. IV.*

4) Cf. Conc. trid. *Sess. XIII. Cap. 7.* Ad quam authenticam interpretationem advertit **Petavius** : « Ita censuit concilium tridentinum ; quod ostendit etiam tempore Apostoli solam confessionem sacramentalem fuisse sufficientem dispositionem, ut quis digne communicet ». *De pœnit. Lib. II. Cap. VIII., 11.* Hæc animadversio doctissimum virum effugit in *Diatriba De pœnit. 6.*

coævæ circa religionis nostræ dogmata signum infallibile est sensus nequaquam diversi, quem circa eadem habuit antiquitas » [5]. *Minor* vero sic probari potest: Illis, qui morbo corriperentur ante expletum cursum pœnitentiæ canonicæ, lege Ecclesiæ ordinaria concedebatur communio eucharistica, licet ipsis non fuerint manus impositæ; adeo ut, si deinde revaluerint, tenerentur reliquos pœnitentiæ gradus obire, et legitime manuum impositionem accipere. Circa pœnitentes, quibus nondum fuerant manus impositæ, hoc statuit concilium nicænum *Can. 13*: « De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ut, si quis egreditur de corpore, ultimo et maxime necessario viatico non privetur: quod si desperatus et consecutus communionem oblationisque particeps factus iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur; generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter (postquam probaverit) ex oblatione dare debebit ». Neque dicas debuisse antea episcopum per manus impositionem absolvere, ac postea communicare. Nam *a*) de hac impositione manus, ne verbum quidem; imo *b*) sic istum canonem exponunt patres arausicani *Can. 3*: « Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, . . secundum definitionem patrum (nicænorum), qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt ». Insuper *c*) ea manus impositio non erat sacramentalis absolutio, cum vel a diacono tribui posset.

2. Hæc possunt confirmari ex *Can. 78* concilii carthaginiensis: « Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Ecclesiæ acceperint, non se credant absolutos (a pœnitentia canonica) sine manus impositione, si supervixerint ». Quin et idem debet esse sensus decreti, quod sede vacante, clerus romanus dedit circa lapsos moribundos; ut nempe citra manus impositionem subveniri debeat iis, qui dolentis ac pœnitentis animi signa prodebant [6].

3. Accedit et narratio Dionysii alexandrini: « Hic (Serapion senex) sæpenumero in ecclesia denuo recipi supplex postulabat; sed nemo, quia idolis sacrificasset, ejus postulationem aliquando auscultavit. Quin in gravem morbum delapsus, triduo deinceps mutus et absque sensu vixit . . . Quarto autem die paululo relevatus nepotem ad se accersit, sicque alloquitur: Quousque, filii, me detinetis? Properate, obsecro, et me ocius dimittite. Quæ cum dixisset, iterum fuit mutus. Percurrit ad presbyterum; nox jam erat. Ille forte morbo vexatus accedere ad eum non poterat . . . Puero exiguam quamdam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens, ut eam madefactam in os senis infunderet. Quam

5) **Billot** *De sacra tradit. contra novam hæresim evolutionismi Cap. I. § 1.*
6) Conc. carthag. *Can. 78; Epist. cleri rom.* inter *Cyprian. 31* circa finem.

puer secum afferens rediit. Cui jam propinquanti Serapion denuo recuperata voce dixit: Venisti, fili? Tametsi presbyter non potest venire, tu tamen præsta quod tibi in mandatis dedit, et dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam attulerat, madefactam in os senis infudit; atque ille simul atque pedetentim eam per fauces demiserat, illico extremum spiritum edidit » [7]. Porro hic senex nullam acceperat manus impositionem; neque enim ad communionem precum fuerat admissus: dicemus ergo illi fuisse concessam communionem eucharisticam absque sacramentali absolutione a peccato idololatriæ?

Contrà hoc argumentum unica fieri potest exceptio, et fit a Natali: Docet tridentinum concilium posse sacerdotem missam celebrare in casu necessitatis, quamvis non acceperit sacramentalem absolutionem a peccatis; ergo a pari potuit in quibusdam casibus tribui communio eucharistica peccatoribus, non præmissa absolutione a peccatis [8].

Respondemus: *a*) Sacerdos debet præmittere actum perfectæ contritionis: hæc autem contritio non potest adeo facile præsumi in pœnitentibus canonicis, ut veluti lege generali ab Ecclesia præsupponatur; nec de ea ullibi sermo est in documentis. *b*) Id permittitur sacerdoti, dummodo desit copia confessarii; at decreta conciliorum aliquando supponunt adesse sacerdotem, imo et presbyterum pœnitentiarium, vel episcopum. *c*) Casus necessitatis est ille, in quo grave oriretur scandalum in Ecclesia, nisi sacerdos celebraret: at nullum scandalum oriri posset ex eo quod publico peccatori pœnitenti, quem constabat non fuisse sacramentaliter absolutum, non concederetur communio corporis Christi.

Dices: Casus necessitatis est ipsum periculum mortis, in quo juxta omnes tenemur sumere Eucharistiam.

Respondeo: Nemo theologus id modo concederet [9]. Sane peccator moribundus vel præsumitur perfecte contritus, vel non: si primum, non habet necessitatem communicandi; si alterum, non debet ullo modo communicare: ergo periculum mortis non est casus ille necessitatis, in quo possit aut debeat peccator communicare, non accepta sacramentali absolutione. Neque dici potest moribundum teneri ad communionem ex lege Christi: huic enim legi prævalet alia de præmittenda communioni probatione per sacramentum pœnitentiæ.

Dices cum Natali: Vetus disciplina expendi non debet ad praxim hujus ævi, ac si nihil ab his usibus diversum fuerit.

Respondeo: Disciplina vetus expendi non debet ad ritus et ad cæremonias hodiernas, *transeat*; expendi non debet ad ho-

7) **Dionysius** alex. apud **Eusebium** *Hist. eccl. Lib. VI. 36.*

8) Id affirmant, et satis commune fuisse dicunt **Schmittz** *Op. cit.* II. 77; **Batiffol** pag. 181.

9) Id pro certo habemus contra **Pignataro** pag. 19.

diernam doctrinam, *nego*. Porro argumentum duximus ex doctrina concilii tridentini et sententiis communiter apud theologos receptis [10].

Argumenta adversariorum solvi facile possunt ex iis, quæ diximus. *Postremum* Natalis est: Ex epistolis canonicis patrum et decretis conciliorum constat pluribus annis peccatores in fletu, auditione et substratione permansisse: porro non est verisimile hominis, per absolutionem sacramentalem justificati, conditionem tam duram fuisse, ut Christo adhærens per caritatem, ne precum quidem communione fidelibus jungeretur.

Respondemus: *a*) Multo durior esset conditio hominis illius, qui, licet per attritionem, confessionem et voluntatem satisfaciendi dispositus esset, tamen per annos plures gratiâ justificationis privaretur. *b*) Qui aliquod ex peccatis canonicis commiserit publice, et Deum offendit, et Ecclesiæ scandalum præbet; ad obtinendam reconciliationem cum Deo, « non tam est consideranda mensura temporis, quam doloris »; et ideo sacerdos in foro interno credere tenetur pœnitenti, et absolvere [11]: at reparari quoque debet scandalum Ecclesiæ, et ideo « recte constituuntur tempora pœnitentiæ, ut satisfiat etiam Ecclesiæ, in qua peccata remittuntur ».

Quoad ecclesiam græcam consentit Morinus: « Duplicem in stadio pœnitentiæ absolutionem apud Græcos concedi solitam; primam statim post confessionem, secundam post satisfationem præstitam; primam a peccatis, secundam a pœnis canonicis; primam reconciliare Deo et Ecclesiæ pœnitentem, secundam altari; primam esse viaticum maxime necessarium, ut loquitur concilium nicænum; secundam esse viaticum, sine quo salus esse posset: primam dare salutem; secundam salutis perfectionem », seu, ut ajunt Græcorum formulæ, adducere εἰς τὸ τελεῖον [12].

10) Nobis canon erat indiscutibilis, doctrinas et ipsas assertiones historicas concilii tridentini (*Sess. XIII. Cap. 7, XIV. Capp. 1, 5, Cann. 6, 7*), utpote clarissimas, esse pure et simpliciter acceptandas; easque esse normas, juxta quas intelligenda sint monumenta priorum sæculorum. At cultores theologiæ positivæ volunt inquisitionem historicam independentem esse a quovis canone dogmatico; doctrinas vero et assertiones historicas concilii tridentini intelligendas esse ad normam primitivæ disciplinæ pœnitentialis, qualem ipsi sibi efformant ex monumentis priorum sæculorum; apud *Rivista delle Riv. Ann. II. 1904* pag. 189. Cf. **Palmieri** *Esame di un opuscolo* pag. 127; **Billot** *Op.* et *loc. cit.*

11) Quia « misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire; et ideo in dispensandis donis Dei non debemus esse difficiles ». **S. Leo** *Ad Theod.* — Dona misericordiæ Dei dispensantur per homines.

12) **Morinus** *Op. cit. Lib. V. Cap. 25.* Cf. **Viva** *Damn. thesium trutina* in *Prop. 16, 17* Alex. VIII.; **Biner** *De rigore pœnit. § 2.*

Propositio VI. a) *Sacramentalis absolutio concedebatur independenter a canonibus pœnitentialibus;* b) *probabile est autem eam pro peccatis canonicis dari communiter consuevisse ab initio totius pœnitentiæ canonicæ.*

Demonstratur prima pars. Canones pœnitentiales agunt tantummodo de reconciliatione cum Ecclesia in foro externo, quæ simul erat condonatio pœnæ coram Deo [1]; atqui præter eam reconciliationem in foro externo certe dabatur etiam absolutio, seu reconciliatio cum Deo in foro interno; ergo hæc dabatur independenter a canonibus pœnitentialibus. *Major* patet ex dictis superius. Et sane, si quando in canonibus sermo est de absolutione, ea certe tunc est intelligenda, cum agunt de impositione manus, de reconciliatione, de pace, de communione, etc.: atqui, licet hæ formulæ supponant pœnitentem jam absolutum fuisse, non tamen absolutionem in se et per se significant; ergo... Aliis verbis, canones pœnitentiales spectant forum externum, dum absolutio sacramentalis respicit internum.

Demonstratur altera pars. I. In hac re talem debemus admittere fuisse disciplinam Ecclesiæ, qua sola supposita, gravia evitantur incommoda; dummodo ea respondeat institutioni Christi, et monumentis historicis non repugnet; atqui, admissa praxi concedendi absolutionem antequam pœnitentes per publicam pœnitentiam satisfecerint, evitantur gravissima incommoda, quæ in nulla alia hypothesi vitari possunt; ea autem praxis respondet institutioni Christi, et nullis historicis monumentis repugnat; ergo admittere debemus eam fuisse Ecclesiæ disciplinam, ut absolutio sacramentalis ab initio totius pœnitentiæ concederetur. *Major* patet. *Minor* quoque evidens esse videtur, *a*) ex se et ex dictis; dummodo advertatur pœnitentiam dari non potuisse nisi illis, quos pœniteret, h. e. illis, qui de commissis dolerent: ergo dolor ille, qui requirebatur ex lege Ecclesiæ ad obtinendam pœnitentiam, est ille idem, qui ex lege Christi requiritur et sufficit ad consequendam justificationem in sacramento. *b*) Monumenta autem historica non solum non excludunt hujusmodi praxim, sed eam positive suadent. Conferri possunt plura ex testimoniis allatis; quibus præstat adjicere narrationem Sozomeni: « Cum in petenda venia peccatorum necessario confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio jure visum est, sacerdotibus tamquam in theatro, circumstante totius ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confiterentur. Ille vero pro uniuscujusque delicto, quid aut facere singulos aut luere

1) Cf. **Palmieri** *De pœnit. Append. § II. Num. 14-16.*

oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat pœnitentes, a se ipsis pœnas criminis exacturos » [2]. Hic ergo peccatoribus pœnitentiam satisfactoriam imponebat; dein eosdem absolvebat, antequam eamdem peragerent, sive ea communis esset, sive canonica.

2. Patres generatim promittunt, post humilem et dolentem confessionem, statim remissionem peccati sequuturam; atqui hæc peccati remissio post confessionem, regula saltem generali, a Deo tribuitur per absolutionem sacerdotis; ergo generatim sacerdotes concedebant absolutionem statim post dolentem confessionem. *Major* probatur *a*) ex s. Ambrosio: « Non erubescamus peccatum nostrum confiteri: qui enim confitetur Domino, exuitur a servitute; simul enim ac qui confessus fuerit, absolvitur: mora ergo absolutionis in confitendo est; confessionem sequitur remissio peccatorum » [3]. *b*) Ex s. Augustino: « Si semel aliquis, vel secundo peccaverit, et sine aliqua dissimulatione ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, et forsitan sine aliqua fœditate, recipiet » [4]. *c*) Ex s. Gregorio: « Lazaro dicitur: veni foras; ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: foras jam per confessionem egredere. Veniat itaque foras mortuus; id est, culpam confiteatur peccator; venientem vero foras solvant discipuli » [5]. Item *d*) ex s. Jo. Chrysostomo, s. Leone et aliis, apud theologos [6]. Si ita patres hortabantur, profecto non repellebant obsequentes.

Dices: Patres agunt in his locis de peccatis communibus, non vero de canonicis.

Respondeo: *a*) Id gratis asseritur; cum allata testimonia nullam habeant limitationem. *b*) Si peccata communia sunt statim absolvenda post confessionem, non apparet cur non sint eodem modo absolvenda statim in foro interno peccata canonica; neque enim peccata canonica sunt ex sese et semper graviora quam alia; nec gravitas major est ratio sufficiens, qua pœnitenti disposito absolutio differatur. Unde non apparet, cur Natalis concedat non consuevisse retardari absolutionem peccatoribus communibus, consuevisse vero ad plures annos pœnitentibus publicis [7].

3. Ex dictis canones pœnitentiales nihil statuunt de absolutione sacramentali, cum hæc ad forum internum pertineat. Attamen iidem normam aliquam debent suppeditare, secundum quam præpositi sacramentorum supponerent concessam, vel dilatam, vel negatam fuisse absolutionem in foro interno; cum munus eorum esset admittere vel rejicere peccatores a parti-

2) **Sozomenus** *Hist. VII. 16.* Consentit **Pignataro** pag. 19 *Nota 1* in fine; imo et plures recentes critici apud eumdem pag. 104.
3) **S. Ambrosius** *Epist. 37 ad Simplicianum Num. 44.*
4) **S. Augustinus** *Sermo 58 De tempore, Num. 1.*, vel *Serm. 258 Append.*
5) S. **Gregorius M.** *Homil. 36 in Joannem.*
6) **S. Jo. Chrysost.** *Hom. 4. in Laz.; Hom. de s. Philog.*; **s. Leo** *Ad Theodor.*
7) Cf. **Natalem** *Dissert. IX. Prop. I.* cum *Respons. ad 3* in *Prop. VII.*

cipatione mysteriorum. Hæc igitur norma erat ipsa pœnitentia satisfactoria; adeo ut, qui pœnitentiam acceperit, jam præsumeretur accepisse sacramentalem absolutionem. Ita, si in decretis conciliorum et dictis ss. patrum exquirere velimus formulam, quæ saltem ex regula generali adsignificaret absolutionem, formula erit illa: *dare*, vel *accipere pœnitentiam*. Si hæc formula ex præsumptione communi adsignificet, ut suppositam, sacramentalem absolutionem, omnia facile explicantur; secus, plurima sunt, quæ cum doctrina Ecclesiæ, sententiis doctorum et patrum nullatenus componi posse videntur. Speciminis gratiâ hæc afferimus:

1. « Si presbyter morientibus pœnitentiam abnegarit, reus erit animarum » [8]. « Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari . . . Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet; quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam, ne possit absolvi, occidere? . . . Salutem ergo homini adimit quisquis mortis tempore pœnitentiam denegaverit » [9]. Deplorat Aphraates syrus (ante medium sæc. IV.): « Aliquibus delictum confitentibus pœnitentia non conceditur. O dispensator domus Christi! Sodali tuo pœnitentiam concede, et memento Dominum tuum non respuere pœnitentes » [10]. Si in his *denegata pœnitentia* adsignificat *denegatam absolutionem*, testimonia clarissima sunt: secus obscurissima, ne dicamus inintelligibilia.

2. Exsuperius tolosanus quæstionem proposuerat Innocentio I.: « Quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ et voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt » ? Cui respondet Innocentius: « De his observatio prior durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ne totum penitus negaretur; sed communio negaretur » [11]. Si absolutio sacramentalis venit hic sub nomine *communionis*, quid concessum est, concessâ pœnitentiâ, negata absolutione?

At difficultas est in sequentibus: « Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, a perpetuo exsitio vindicentur ». — Porro, ajunt, communio, qua sola pœnitentes a perpetuo exsitio vindicantur, est absolutio.

8) **S. Julius I.** *Decr. 2*, apud **Coustant** *Epp. rr. pp.* col. 411.
9) **S. Cælestinus I.** *Epist. ad epp. prov. vienn. et narbon.* col. 1067.
10) **Aphraates** *Demonst. VII. De pœnit. Num. 25.* In eumdem sensum loquentes cf. **s. Gregorium** nazianz. *Serm. 39 Num. 18*; **s. Augustinum** *Epist. 93 ad Vinc. rogat. Num. 42*; etc.
11) **S. Innocentius I.** *Epist. ad Exsup.* **Coustant** col. 722; **Jaffè** *Num. 293.*

Respondemus: Ergo ecclesia romana, quæ semper a primordiis ad indulgentiam proclivis fuit, pœnitentibus, qui rite dispositi censebantur, denegabat id, quo solo vindicari possent ab exitio perpetuo! Et dicimus: *pœnitentibus, qui rite dispositi censebantur*; nam observatio nova statuta ab Innocentio non mutat speciem facti, sed præcedentem supponit; decernit vero illis pœnitentibus dandam esse communionem (nempe, ut isti volunt, absolutionem) ut a perpetuo exitio vindicentur: supponit ergo pœnitentes rite dispositos. Dicendum est igitur quod Innocentius nomine *communionis* intelligit communionem cum Ecclesia et communionem eucharisticam, quæ utraque ex lege Christi necessaria est ad salutem [11], licet non ea absoluta necessitate, qua est necessarius status gratiæ.

3. *Canon 3* concilii arausicani: « Qui recedunt de corpore, pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manuum impositione eis communicari ». Item plura sunt testimonia s. Cypriani, in quibus absolutio vel inclusa, vel supposita esse videtur sub concessione et acceptione pœnitentiæ; ex. gr.: « Ante actam pœnitentiam, ante exomologesim delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in pœnitentiam impositam », etc. « Cum in minoribus delictis pœnitentia agatur justo tempore, et exomologesis fiat, nec ad communionem venire quis possit, nisi per manus impositionis episcopi et cleri » etc. [12]. Adverte pœnitentiam semper præmitti exomologesi.

4. Apprime cohæret decretum cleri romani, ut communio detur (non præmissa manûs impositione) « iis qui, actâ (ex parte) pœnitentiâ, et professa frequenter suorum detestatione factorum, .. dolentis ac pœnitentis animi signa prodebant ». Sic optime explicatur narratio Dionysii de Serapione, et plura hujusmodi facta, quæ recurrunt in historia pœnitentiæ canonicæ.

5. Idem probat cl. Palmieri; tum ex s. Augustino, pro quo *petere actionem pœnitentiæ* idem est *ac petere sacramentalem absolutionem*, dum e contra *petere reconciliationem* idem est ac *petere sacram communionem*; tum ex antiquis libris pœnitentialibus, in quibus formulæ imponentes pœnitentiam exprimunt (formâ licet deprecativâ) veram peccatorum remissionem coram Deo [13].

Censemus ergo satis esse probatam thesim nostram.

11) Patres antiqui maximam tribuunt huic sacramento virtutem etiam ad remissionem peccatorum; inter quos **s. Ambrosius** *De bened. patriarch. Cap. 19*: « Panis hic remissio peccatorum est ». **S. Jo. Chrysostomus** *Hom. 83 in Matth.*: « Remissionem peccatorum facit ».

12) **S. Cyprianus** *Epist. 9, 10, 11.*

13) **Palmieri** *De pœnit.* in fine *Thesis X.* et *Append. § 11. Num. 10.* Cf. etiam **Viva** *Prop. 17.* Alex. VIII. *9*; **Muzzarelli** *Logica. Opusc. XXX. P. 2*; **Faure** *In Enchir. 70*; inter recentes **Frank** 811, seqq.; **Hurter** *Theol. dogm.* III. *Num. 501, Nota*; **Pesch** *Prælect. dogm.* VII. *Num. 263-269.*

Ad discipulorum concertationem: a) In eo contendebant catholici cum novatianis, quod isti pœnitentibus actâ pœnitentiâ denegarent adhuc absolutionem; dum illi volebant dandam esse absolutionem, ne actio pœnitentiæ inutilis esset: ergo etiam catholici tantum post præstitam satisfactionem dabant absolutionem. *b*) Sane patres docent ad obtinendam remissionem peccatorum requiri diuturnam et gravem pœnitentiam; *c*) ac Deo debere prius satisfacere, qui velit cum illo reconciliari [14].

Propositio VII. *Iis qui,* [a] *peractâ publicâ pœnitentiâ, in eadem vel graviora crimina canonica relaberentur, non amplius publica pœnitentia concedebatur;* [b] *concedebatur tamen pœnitentia privata et sacramentalis absolutio, etiam ante periculum mortis.*

Demonstratur prima pars. Ita sane Origenes: « In gravioribus criminibus semel tantum pœnitentiæ conceditur locus » [1]. S. Ambrosius: « Merito reprehenduntur qui sæpius agendam pœnitentiam putant;... quia, sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur » [2]. S. Siricius ad quæstionem Himerii tarraconensis episcopi de iis, « qui actâ pœnitentiâ tamquam canes et sues ad vomitum pristinum et ad volutabra redeunt »; sic respondet: « De quibus, quia jam suffragium non habent pœnitendi, id duximus decernendum » [3], etc.

Hæc disciplina certe universalis fuit in ecclesiis occidentalibus; forte non omnino communis in ecclesiis orientalibus.

Demonstratur altera pars. 1. *Indirecte*: Disciplina contraria admitti non potest, nisi evidentissime probetur; atqui... *Major* patet ex analogia eorum, quæ superius disputavimus. *Minor* probabitur in discussione argumentorum, quibus ea disciplina ab adversariis propugnatur [4].

2. *Directe*: 1. Generatim patres affirmant paratam esse remissionem omnibus peccatoribus, quamtumvis gravia et plurima sint eorum peccata; ergo etiam recidivis: atqui remissio juxta legem ordinariam fit per sacramentum pœnitentiæ. *a*) Ita s. Augustinus: « Neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia (per potestatem clavium), Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam secundum sui

14) Plura contra hanc thesim argumenta invenies apud Arnaldum, Morinum, Juveninum, Natalem, Merbesium, Tournely. Inter plures benignitatis romanæ vindices cf. **Francolinum** *De disc. pœnit., Clericus rom., Francolinus vindicatus.*

1) **Origenes** *Homil. 15 in Levit.* juxta probabiliorem lectionem.
2) **S. Ambrosius** *De pœnit. Lib. II. Cap. 10.*
3) **S. Siricius** *Ad Himer.* apud **Coustant** col. 629, **Jaffè** *Num. 255.* Cf. **Pignataro** pag. 129, seqq.
4) Sunt autem **Morinus** *V. 27*; **Natalis** *Dissert. X. Prop. I.*; **Petavius** *De pœnit. rat.*; **Batiffol** *Op. cit.* 177, 210; **Vacandard** *La conf. sacram. Chap. V.*

cujusque peccati » [5]. Ergo remedium in Ecclesia paratum est universale ; extenditur nempe ad omnia peccata et crimina, etiam cum circumstantia relapsus post pœnitentiam. Idem *b*) confirmatur ex s. Hieronymo : « Septies cadit justus. Si cadit, quomodo justus ? Si justus, quomodo cadit ? Sed justi vocabulum non amittit qui per pœnitentiam semper resurgit. Non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccata donantur » [6]. Hæc autem testimonia, sicut et alia plurima, sunt prorsus generalia. *c*) Præclarum est testimonium s. Joannis Chrysostomi, etiam prout refertur a Natali ; præsertim si conferatur cum praxi ejusdem sancti doctoris. Expendit verba Pauli (*Hebr. X. 26*) : voluntarie peccantibus nobis non relinquitur pro peccatis hostia. « Hic rursus, inquit, nos adoriuntur qui tollunt pœnitentiam, et qui cunctantur venire ad baptisma, siquidem non est secunda remissio : illi vero dicunt non esse tutum eos impertiri mysteriis, siquidem non est secunda remissio. Quid ergo dicemus utrisque ? Quod hic non tollit pœnitentiam, nec eam, quæ per pœnitentiam fit, placationem ; neque expellit et dejicit per desperationem eum, qui est lapsus ; sed secundum lavacrum tantum aufert. Non enim dixit : non est amplius pœnitentia, non est amplius remissio ; sed : non est amplius hostia, hoc est, crux secunda : hoc enim vocat hostiam ». Huic doctrinæ prorsus cohærebat praxis sancti doctoris ; adeo ut ejus hostes in synodo *ad Quercum* hæc ipsius verba eidem objecerint : « Si iterum pecces, iterum pœnitentiam facito ; et quoties peccaveris, accede ad me, et ego te curabo » [7]. *d*) Hanc fuisse certam in Oriente doctrinam indicat etiam Sozomenus : « Cum in nullo prorsus peccare divinioris cujusdam naturæ sit et humana præstantioris, pœnitentibus vero, etiamsi sæpius deliquerint, veniam dare Deus præceperit, cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri operteat, grave ac molestum ab initio visum est, etc. [8]. Si ita patres sentiebant et docebant, num censeri possunt aliter egisse ?

2. Idem confirmatur ex restrictione a s. Ambrosio apposita : « Sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur ». Quare s. Thomas inter hæreticos recenset non modo novatianos, sed et eos, qui tempore s. Augustini dicebant esse utilem pœnitentiam (sacramentum), non tamen pluries, sed semel [9].

3. Robur huic sententiæ accedit ex infirmitate rationum, quibus contraria fulcitur. Præcipua argumenta Natalis duo sunt : unum ex Tertulliano, alterum ex Augustino.

5) **S. Augustinus** *Enchiridion 65* : vide **Faure** in *h. l.*
6) **S. Hieronymus** *Epist. De pœnitentia ad Rusticum.*
7) Cf. **Baronium** *Annal. eccles.* Tom. V. ad *annum 403.*
8) Integrum locum dabimus in *Propos. X.*
9) **S. Thomas** *P. III. Qu. 84. art. 10.* Forte advertet aliquis harum *Institut.* compilatorem valde theologiæ dogmaticæ tribuere, at plurimum cordi habere theologiam moralem. — Respondemus utrumque verissimum esse.

1. Tertullianus loquens de tentationibus diabolicis : « Hæc igitur venena ejus prævidens Deus, clausâ licet ignoscentiæ januâ et intinctionis (alterius baptismi) serâ obstructâ, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat : sed jam semel ; quia jam secundo ; sed amplius numquam ; quia proxime frustra. Non enim et hoc semel satis est ? » [10].

Respondemus : *a*) Tertullianus ibi loquitur de pœnitentia secunda pro quibuscumque peccatis mortalibus post baptismum commissis ; ergo hoc testimonium nimis probat. *b*) Loquitur de pœnitentia, prout est instituta a Christo : diceret ergo Christum voluisse ut numquam sacramentum pœnitentiæ iteraretur ; atqui hæc esse non potest sententia Ecclesiæ : aut igitur errat Tertullianus, aut ejus verba sunt alio sensu accipienda. Nimirum *c*) Tertullianus, ad rigorem proclivis, existimabat valde esse difficile, quod recidivos vere pœniteat, ut apparet ex iis, quæ habet *Cap. 1.* Inde deducit recidivos esse rite probandos, antequam eis absolutio tribuatur ; hoc autem confirmabat ex disciplina Ecclesiæ, quæ secundam pœnitentiam publicam non concedebat. *d*) Adverti quoque debet per hoc et alia plura testimonia excludi secundam pœnitentiam absolute, etiam in morte : atqui ex sententia Natalis in morte dabatur recidivis absolutio, et proinde pœnitentia : ergo hæc patrum testimonia unam pœnitentiam excludunt, aliam admittunt ; excludunt publicam, admittunt secretam, et cum secreta sacramentalem absolutionem. Idem dicendum censemus de testimonio Origenis : « In gravioribus criminibus semel tantum pœnitentiæ conceditur locus » [11].

Instabis : Jam circa medium sæculum II. pœnitentia nonnisi semel concedebatur. Ait enim Hermas : « Servis Dei una pœnitentia est ». Et inferius : « Post vocationem illam magnam et sanctam, si quis tentatus a diabolo peccaverit, unam pœnitentiam (μετάνοιαν) habet : sin autem subinde peccat et pœnitentiam agit, non prodest homini ejusmodi, difficile enim vivet » [12].

Respondemus : *a*) Primus locus non est ad rem : *Pastor* ibi agit, non de pœnitentia peccatorum ad habendam veniam a Deo, sed de pœnitentia uxoris adulteræ petentis reconciliari marito ; quam maritus recipere quidem debet, at semel ; *servis enim Dei pœnitentia una est. b*) In altero loco agit quidem de pœnitentia coram Deo, et proinde sacramentali ; ibi vero non negat absolute pœnitentiam et veniam possibilem esse recidivis, sed tantum urget (forte nimis) difficultatem conversionis veræ (μετάνοιας) pec-

10) **Tertullianus** *De pœnit. 7.* Inde abusus differendi baptismum, quem Tertullianus quoque probat : « Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem quam dilationem ». *De bapt. 18.* Cf. **Jungmann** *III. 38.*

11) **Origenes** *Hom. 15 in Levit.* Rationes hujus disciplinæ videri possunt apud **s. Thomam** *In IV. Sentent. Distinct. XIV. Qu. 1 art. 5.*

12) **Hermas** *Pastor Mand. IV. Cap. 1, 3* apud **Vizzini** *l.* IV. 129, 133.

catoris recidivi [13]: ceterum in toto opere adeo frequenter remissionem peccatorum omnium a Deo per Ecclesiam concedi docet, ut propterea a Tertulliano *Pastor mœchorum* appellari meruerit [14]. *c*) Quod si verba illa ad ipsam peccatorum remissionem sint referenda, hæc opinio noxia et novatianismo favens habenda esset, et illis accensenda, propter quas decreto gelasiano *Pastor* rejectus fuit inter libros, quos ecclesia non recipit [15].

Ex his ea quoque solves, quæ Natalis affert ex Clemente alexandrino, qui eum locum *Pastoris* commentatur (*Strom. II. 13, 56*).

2. Ex Augustino affertur testimonium ex *Epist. 54* ad Macedonium, cujus hæc est conclusio: « Quamvis ergo caute salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, . . . quis tamen audeat dicere Deo: quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? » Vides, subdit Natalis (et cum eo Vacandard, Batiffol et alii), ut hujusmodi peccatores uni Dei misericordiæ committit Augustinus, pœnitentiæ vero privatæ subsidium premit silentio; id nequaquam facturus, si privatæ pœnitentiæ remedium ab Ecclesia consecuti fuissent.

Respondemus: Sicut confessio secreta facta sacerdoti dicitur a patribus *confessio Deo facta*; ita et absolutio a sacerdote impertita in foro interno dici potest *absolutio data a Deo*: et sane ita jure appellari potest, si comparetur cum reconciliatione, quæ in foro externo datur pœnitentibus ab Ecclesia. Negata igitur recidivis publica pœnitentia et reconciliatione cum Ecclesia, et forte etiam participatione ad sacramentum altaris, tribui ipsis poterat sacramentalis absolutio simul cum pœnitentia privata [16].

Objicit Natalis cum Petavio: Ergo in meliore erant conditione recidivi, quam primo peccantes.

Respondemus: *a*) Juxta Natalem in morte dabatur recidivis privata pœnitentia et absolutio: porro tunc gravis esse non poterat pœnitentia. Præterea, *b*) si recidivi revaluissent, subjiciebantur iterum publicæ pœnitentiæ? Id non tangit Natalis; sed respondere deberet negative. Insuper *c*) evidens est concessionem pœnitentiæ canonicæ maximum beneficium fuisse, denegationem fuisse gravissimam punitionem. Ea enim denegatio secum ferebat exclusionem a perfecta communione cum cœtu fidelium, et, quod gravius erat, ab ipsa participatione Eucharistiæ: uno verbo, erat vera excommunicatio; et quidem alicubi per totam vitam, alicubi etiam in morte [17]. — Ceterum videre potes quam

13) Cf. **Lumper** apud **Migne** *Patr. gr.* II. 878; **Palmieri** *Esame* pag. 127.
14) **Tertullianus** *De pudicitia Cap. 10, 20.*
15) Ita **Bellarminus** *De script. eccl.*; **Funk** *Patres apost.* I. Cf. **Fessler** *§ 44.*
16) Cohæret hæc Augustini doctrina cum *Enchir. Cap. 65.*
17) Cf. **Palmieri** *Op. cit. Thes. IX.* pag. 96; **Pignataro** pag. 137.

difficilem responsionem Natalis alibi dare cogatur Dallæo opponenti hanc Ecclesiæ disciplinam contra necessitatem confessionis sacramentalis [18].

Demum dices cum Batiffol: Factis ratiocinia cedunt.

Respondemus: Utique; dummodo facta positive demonstrentur; præsertim quando facta asseruntur, quæ sensum antiquæ Ecclesiæ in re doctrinali exhiberent alium a sensu Ecclesiæ hodiernæ, imo et a sententiis doctrinalibus ss. patrum. Jamvero facta asserta non demonstrari, vel ex eo patet, quod, præscindendo etiam ab opinionibus theologorum, ipsi critici in documentis antiquis interpretandis in tot abeunt opiniones, ut merito dixeris in re præsenti tot esse sententias, quot sunt capita [19]. Id confirmat quod alibi diximus, documenta antiqua in quæstione nostra esse obscura, quibus illustrandis theologia dogmatica plurimum conferre poterit, theologia positiva parum vel nihil.

Propositio VIII. *Disciplina fuit constans in Ecclesia primitiva, ut absolutio sacramentalis pœnitentibus non denegaretur, quamvis vel illam in exitu tantum postularent, vel gravissima crimina perpetrassent.*

Demonstratur. 1. *Indirecte* ex eo quod disciplina contraria non demonstretur, nec sine evidenti demonstratione admittenda videatur. Sane argumenta omnia duo hæc supponunt: *a*) Impositionem manûs esse sacramentalem absolutionem; *b*) denegatam communionem effectum esse et signum denegatæ absolutionis. Jamvero hæc falso supponuntur.

2. *Directe*: Peccatoribus, qui vel in fine vitæ, vel ob gravissima crimina pœnitentiam postulabant, pœnitentia concedebatur: atqui concedere pœnitentiam idem est ac concedere absolutionem, vel eam concessam supponere. *Major* conceditur ab adversariis; et probatur ex responsione Innocentii I. ad Exsuperium. *Minor* probata fuit superius: hic addere juvat, quod tamquam probabilis admittitur ab ipso Petavio [1]; qui eo sensu intelligi posse concedit testimonium Innocentii et plura Cypriani.

3. Locutiones patrum, etiam antiquorum, sunt omnino universales: generatim docent a crimine quamtumvis enormi posse vel uno instanti peccatorem ad Christum converti, et per claves Ecclesiæ remissionem consequi peccati; nec ullum afferri potest

18) **Natalis** *Sæc. XIV. Dissert. XIV. § 30.* Nec faciliores sunt responsiones, quas protestanti H. Lea dant Boudinhon et alii.

19) Facilis res esset ostendere quam diversæ sint et oppositæ documentorum interpretationes apud veteres Morinum, Petavium, Albaspineum, Natalem etc.; imo quam in hisce a Boudinhon discrepent Vacandard et Batiffol, imo et hi quoque inter se.

1) **Petavius** *Diatriba cit.* apud **Zaccaria** XII. 59. Propositio maxime est contra **Morinum** *Lib. X. 1.* Cf. præ ceteris **Palmieri** *De pœnit. Thesi IX.*

patrum testimonium, quod hujusmodi peccatorem a spe justificationis, et quidem per claves, excludat [2]. Doctrinæ patrum cohæret *Canon 51* ex iis, qui *apostolici* vocantur: « Si quis episcopus aut presbyter a peccato revertentem non recipit, sed ejicit, deponatur; quoniam Christum molestia afficit, qui dixit: gaudium est in cœlo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem » [3]. Implicite idem dicere videtur *Canon 13* concilii nicæni; qui non solum universaliter statuit nulli moribundo denegandam esse eucharisticam communionem, sed historice testatur hanc esse legem antiquam et canonicam.

Negare tamen non possumus aliquando in aliqua ecclesia particulari eo severitatis quosdam episcopos devenisse, ut quibusdam peccatis absolutionem etiam in exitu denegarent, de quibus dicit s. Cyprianus: « Quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, et in totum *pœnitentiæ locum* contra adulteros clauserunt » [4]. Tamen eorum severitas numquam probata fuit Ecclesiæ; neque opus est, ut eam ad alia crimina extendamus præter fornicationem vel adulterium. Quod si in ipsa romana ecclesia contra hoc crimen quidam rigidiores fuerunt circa initia sæculi III., eorum duritiem mox corrigendam esse censuit Callistus; qua de re in eum invehuntur Tertullianus et *Philosophoumena* [5]. De disciplina concilii illiberitani dicemus inferius.

Objectiones. I. Ad probandum quod sacramentalis absolutio denegabatur iis, qui eam tantummodo in fine vitæ postularent, Natalis affert tria testimonia, quæ breviter discutere oportet.

1. S. Cypriani ex *Epist. 52*: « Idcirco pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communionis et pacis, si in infirmitate atque periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed morbi urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum ».

Respondemus: *a*) His deneganda statuitur *communio* et *pax*: atqui neutrum ex his nominibus significat absolutionem. Affertur utique ratio, quæ absolutionem quoque negandam suaderet: quod eos nempe rogare compellat, non delicti pœnitentia, sed urgentis morbi admonitio. At *b*) quid admonet morbus? Utique mortem imminere, et post mortem periculum damnationis æter-

2) Vide, inter alios, textum **s. Augustini** supra relatum ex *Enchir. 65*.

3) Apud **Labbeum** Tom. I. col. 35.

4) In *Epist. 52 ad Anton.* Contra fornicarios, præsertim incestuosos et adulteros, semper duriores fuerunt patrum sententiæ et leges Ecclesiæ: crimen est nomini christiano nimis probrosum, quod frequenter obrepebat ex gentilismo, in quo « tota impudicitia vocatur urbanitas ».**Minucius** *Octav. 28*.

5) **Tertullianus** *De pudic. 1, 13; Philosophoumena IX. 12*. Cf. **Jungmann** *III. 36-39*; **Palmieri** *loc. cit.*; **Vizzini** *III.* II. 170, seqq.

næ: porro pœnitentiam non poscunt propter timorem mortis corporalis, a qua per absolutionem non eximuntur, sed propter timorem gehennæ, a qua solum per absolutionem liberari possunt; ergo præsumuntur habere dolorem sufficientem ad justificationem in sacramento, et, quod magis est, non supponuntur habere contritionem, qua absque sacramento justificentur: cur his peccatoribus denegaretur absolutio? nonne ex caritate, ex præcepto Christi, videtur omnino tribuenda? Itaque *c*) detur illis absolutio, ad quam dispositi sunt per dolorem ex timore gehennæ; denegetur solatium plenæ reconciliationis cum Ecclesia, et forte etiam communionis eucharisticæ, sive quia nondum legitimam pœnitentiam egerunt, sive quia hujusmodi solatium digni recipere non sunt, qui se non cogitarunt esse morituros. *d*) Hinc eis negata reconciliatio ab Ecclesia; at concessa venia a Deo (per claves in foro interno), qui nec in exitu deprecanti et suum peccatum confitenti denegare eam solet [6].

2. *Canon postremus* concilii arelatensis, quo sic decernitur: « De his, qui apostatant et numquam se ad Ecclesiam repræsentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, et postea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint et egerint dignos fructus pœnitentiæ » [7]. Certe, subdit Natalis, absolutio sacramentalis non conceditur, nisi iis, qui dignos pœnitentiæ fructus egerint.

Respondemus: *a*) Generatim falsa est hæc subsumpta Natalis; neque ipse eam admitteret, si de peccatis communibus ageretur. Et sane non conceditur absolutio, nisi iis, qui hic et nunc signa dederint doloris; sed concedi potest et solet, nedum absolutio, sed et communio eucharistica, peccatori, qui nondum pœnitentias impositas impleverit [8]. *b*) Hoc canone prohibetur dari communio perfecta cum Ecclesia, *concedo*: prohibetur etiam communio eucharistica, *transeat*; prohibetur sacramentalis absolutio, *nego*.

3. *Responsio* Innocentii I. ad Exsuperium. Quæsierat Exsuperius, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ et voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt. — Respondet Innocentius: « De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordiâ inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam, cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum pe-

6) Vide eumdem **s. Cyprianum** *Ad Demetr.* 224. Cf. **Coustant** 793 *Nota.*
7) Apud **Labbeum** I. col. 1453.
8) Cf. *Prop. 16, 17, 18, 22* damnatas ab Alex. VIII.; *Prop. 34, 35 Pistor.*

nitus negaretur, et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dare obeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani hæretici, negantis veniam, asperitatem et duritiem subsequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur » [9]. Ex hoc testimonio duplex argumentum efformat Natalis : *a*) Communio concessa ab Innocentio, et proinde antea negata, est ne Novatiani duritiem Ecclesia sequi videretur : at controversia cum Novatianis erat circa negationem absolutionis sacramentalis. *b*) Erat ea communio, quæ peccatores a perpetuo vindicat exitio : porro hæc est absolutio : ergo disciplina erat ante Innocentium, ut his peccatoribus denegaretur sacramentalis absolutio.

Respondemus : *a*) Ecclesia imitari Novatiani duritiem videretur etiam si pacem et plenam reconciliationem his pœnitentibus denegaret ; multo magis, si præterea denegaret communionem eucharisticam. *b*) Inde sequeretur quod vetus ecclesia romana negasset absolutionem pœnitentibus, qui rite dispositi censerentur ; illis enim negata fuisset, quibus Innocentius statuit esse concedendam. Porro id nimis abhorret ab eo spiritu indulgentiæ, quo ecclesia romana, a b. Petro edocta, semper usa est erga pœnitentes ; quique semper fuit hujus ecclesiæ proprius character, tum ante, tum post Innocentium. Jamvero in quo tandem hæc indulgentia et benignitas consistebat ? an in eo, quod, absolutione negata, concederetur pœnitentia ? At quid est pœnitentia absque spe absolutionis ? « Quid autem durius, quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent ; cum utique, veniam negando, incentivum auferant pœnitentiæ ? » [10].

II. Quod gravissimis delictis negata fuerit absolute in Ecclesia sacramentalis absolutio, suadendum videtur ex *Canonibus* concilii illiberitani, qui pro quibusdam peccatis statuunt nec in fine dandam esse communionem. Ita *Canon 1* : « Placuit ut quicumque post fidem baptismi salutaris, adulta ætate ad templum idoli idolotraturus accesserit, et fecerit quod est crimen capitale, nec in fine eum ad communionem admittere » ; *Can. 17* : « Si quis forte sacerdotibus idolorum filias suas junxerit, placuit nec in fine ei dandam communionem ». *Can. 73* : « Si quis episcopum, presbyterum aut diaconum falsis criminibus appetierit, et probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem ». Ita et alii plures [11].

9) Apud **Coustant** *Epp. rr. pp.* col. 792.
10) Ita **s. Ambrosius** *De pœnit. Lib. I. 1.* Similia habet **s. Cyprianus** *Epist. 52. Num. 28, 29.*
11) Apud **Labbeum** I. 992 seqq.

Respondemus: *a*) Si nomine *communionis* illiberitani patres intelligebant absolutionem a peccatis, accensendi essent illis episcopis, de quibus queritur s. Cyprianus in epistola ad Antonianum, et illis congrueret nota card. Baronii: « Austeriori quodam spiritu iidem, qui in eamdem synodum convenere patres sanctissimi, propemodum visi sunt novatianorum limites attigisse » [12]. Certe eorum morem numquam approbavit aut recepit Ecclesia. Ceterum *b*) non hic est sensus, quo iliiberitani accipiunt nomen *communionis*; quod, cum ex sese ambiguum sit, et ideo accipiendum sit ita, ut disciplina illius concilii doctrinæ catholicæ cohæreat, ad hunc sensum mitiorem et doctrinæ catholicæ congruentem ab iisdem patribus determinatur. Ita in *Can. 3*, cum de flaminibus post pœnitentiam relapsis statuerint: « si post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius eis non dandam communionem »; rationem subdunt: « ne lusisse de *communione dominica* videantur »: porro hæc phrasis numquam significat sacramentalem absolutionem. Item *Can. 47* de conjugato, qui sæpe mœchatus fuerit: « in fine mortis est conveniendus; quod si promiserit se cessaturum, detur ei communio; si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius non *edere de communione panis* » [13]. In hac istorum canonum expositione consentit Natalis [14]; ex quo liceat duo hæc consectaria deducere in confirmationem thesium præcedentium: *a*) Nomen *communio* non significat per se, nec in usu communi veteris Ecclesiæ, sacramentalem absolutionem: *b*) Homo jam per sacramentum pœnitentiæ absolutus et justificatus poterat per legem Ecclesiæ privari communione eucharistica.

In confirmationem thesis addere juvat sententiam s. Leonis: « His, qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras conversio . . . In dispensandis itaque donis Dei non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrimas gemitusque negligere, cum ipsam pœnitentiam ex Dei credamus inspiratione conceptam » [15].

Neque dicas hanc esse praxim inductam sæculo V., ut recentes passim contendunt. Rationes enim a s. Leone afferuntur doctrinales et semper veræ.

12) **Baronius** *Annales eccl.* ad *ann. 57 Num. 119.*

13) Cf. **Hefele** *Conciliengesch. I. § 13*; **Frank** *Op. cit.* 730, seqq.

14) **Natalis** *Sæcul. III. Dissert. VII. Prop. III.*

15) **S. Leo** *Epist. ad Theod. foroj.* Cf. quoque decreta superius relata ss. Julii et Cælestini, et aliorum patrum penes theologos. De hac controversia fuse contra Albaspinæum pertractat **Orsi** *De capit. crim. absolutione.*

Ad discipulorum concertationem: 1. *a*) Tempore s. Cypriani denegabatur absolutio iis, qui eam nonnisi ante mortem postularent: nam absolutio ab eucharistica communione nullo sejungebatur intervallo, ut patet ex s. Cypriani *Ep. 54* (ab initio); porro hæc certe negabatur. *b*) Nec id redolet novatianismum: novatiani enim veniam denegabant peccatoribus pœnitentiâ functis; Ecclesia vero iis, qui pœnitentiam non egerant. Quare *c*) etiam cum posterius absolutio hisce peccatoribus moribundis dari cœpit, de ipsius validitate propter dubiam pœnitentiam Ecclesia semper dubitavit; hæc ratio est, qua eosdem forte revalescentes pœnitentiæ obeundæ et novæ absolutioni recipiendæ adigebat.

2. Etiam reis quorumdam criminum denegari omnino consuevit absolutio. Sane: *a*) Tertullianus hac ratione decretum Callisti de venia mœchis concedenda convellit; si veniam mœchis concedere potes, cur non homicidis et idololatris? *b*) Medio sæculo III. clerus romanus contra exaggeratam quorumdam duritiem et aliorum facilitatem, decrevit dandam esse absolutionem lapsis eamdem petentibus, si libellis martyrum commendarentur; ergo antea his quoque denegabatur, et ex ipso decreto absolutione privandi erant qui libellis commendatitiis carerent. *c*) Quin imo sæculo IV. s. Ambrosius (*De lapsu virg. 38*) lapsum virginis consecratæ dicit esse irremissibilem in terris: « Quæ enim proprie in Dominum peccasti ab ipso solo te convenit die judicii exspectare remedium » [16].

Scholion. I. Postquam vidimus nulli umquam peccatori pœnitenti negari consuevisse sacramentalem absolutionem, quæri adhuc posset, num ex lege generali Ecclesiæ denegari consueverit eucharistica communio. Dicimus: *ex lege generali Ecclesiæ*. Quod enim id alicubi factum sit, patet tum ex allatis documentis, tum ex s. Gregorio thaumaturgo aliisque patribus græcis decernentibus, ut pœnitentes tantum post peractam pœnitentiam perveniant εἰς τὸ τέλειον [1]; qua phrasi, aut designatur, aut certe comprehenditur communio eucharistica. Verum quod id fieri debuerit ex lege generali Ecclesiæ, haud facile admittemus. Etenim *a*) quoad exsistentes in periculo mortis, generale est statutum cleri romani; item *Canon 13* concilii nicæni, et *Canon 78* carthaginiensis 4; quibus statuitur nemini posito in periculo mortis negandam esse eucharisticam communionem [2]. Insuper *b*) quoad pœnitentes, etiam extra periculum mortis, certe Romæ maxima erga illos semper fuit benignitas romanæ ecclesiæ; et, si genuinum esset decretum s. Soteris, pœnitentes in cœna Do-

16) Cf. **Hurter** *Theol. dogm.* III. *Num. 451-457*; **Pignataro** *Cap. V., VI.*

1) S. Gregorius, s. Basilius, s. Gregorius nyss., etc. Idipsum evidenter voluerunt patres concilii illiberitani: certe quousque negabatur publica pœnitentia, negabatur et communio eucharistica.

2) Forte id quoque confirmat **s. Leo** *Epist. 87 ad epp. prov. vienn. Cap. 8.*

mini ad percipienda corporis et sanguinis Domini sacramenta reconciliabantur. Certe ineunte sæculo V. in romana ecclesia *consuetudo jam erat*, ut pœnitentes omnes, sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus, feria quinta ante pascha ad reconciliationem admitterentur [3]; quod et ad alios dies solemniores extendisse dicitur s. Silverius ante medium sæculum VI. Huic opinioni firmandæ non ultra insistimus; cum quæstio præsens unice ad sacramentalem absolutionem referatur.

In quæstione autem præsenti, quidquid est de rationibus doctrinalibus, quibus janseniani et theologi quidam iisdem nimis addicti [4] traducunt ceu nimis laxam hodiernam romanæ ecclesiæ facilitatem in concedenda sacramentali absolutione, certe nihil eos juvant rationes ex historia desumptæ, ut abunde demonstravimus. Quinimo ex historia publicæ pœnitentiæ commendatur hodierna romanæ ecclesiæ benignitas, utpote praxi primitivæ Ecclesiæ conformis [5].

II. Verum funestius, quam janseniani, ex historia pœnitentiæ canonicæ Ecclesiam catholicam impetunt protestantes; qui contendunt ex hac institutione ecclesiastica ortam esse praxim confitendi sacerdotibus peccata, et inde persuasionem sequentibus sæculis communem de instituto a Christo sacramento pœnitentiæ. Præeminet inter protestantes Dallæus, qui negavit consuevisse primitivos fideles sua peccata sacramentaliter confiteri [6]; eique suppetias ferre tentavit Dupin jansenianus; qui, ut facilius posset jansenianos anglicanis fœderare, proposuit abrogationem confessionis auricularis. Dallæum recenter secutus est Lea calvinianus. Quin et Loisy, eodem utens argumento historico, veritatem sacramenti pœnitentiæ negavit, affirmans quod prima ætas christiana ignoravit confessionem factam soli sacerdoti esse sacramentum et absolutionem datam ab Ecclesia esse judicialem [7].

III. Neque ab iisdem penitus abhorrent theologi positivistæ, qui implicite negant agnitam sæculis illis fuisse necessitatem sacramenti pœnitentiæ ex jure divino ad obtinendam omnium peccatorum mortalium remissionem a Deo. Dicimus: « necessitatem *sacramenti* »; hoc enim *confessione* consistit, et *absolutione*. Itaque, aliqui ex his contendunt nullam fuisse per quatuor sæ-

3) **Innocentius I.** *Epist. ad Dec.* apud **Coustant** col. 862, **Jaffè** *Num. 311.* Cf. **Francolinum** *Clericus rom. XI. 9, 10*; **Viva** *Prop. 17 Alex. VIII.*

4) Jansenianorum in hac re primipilus fuit Ant. Arnaldus: ei accesserunt *Clericus belga*, Opstraët, Juvenin, Merbes, ac demum Pistorienses; inter catholicos, præter Morinum et Nat. Alexandrum, Genettus, Fleury, etc.

5) Cf. **Francolinum** *Opp. citt.*; **Muzzarelli** *Logica X. § 8-10, XXX. P. II.*; **Marchetti** *Critica alla Storia del Fleury Art I. § 6*; **Faure** *In Enchir.* passim; etc.

6) Contra quem eruditissima habetur **Natalis** *Dissert. XIV. Sæc. XIII. et XIV.*

7) **Loisy** *Autour d'un petit livre* pag. 247. Ait antecessores in hoc se habere recentes viros doctos et apprime catholicos « fort orthodoxes ».

cula necessitatem confitendi sacramentaliter omnia peccata mortalia post baptismum commissa [8]. Alii, necessitatem confessionis integræ admittentes, contendunt per eadem sæcula Ecclesiam consuevisse negare sacramentalem absolutionem peccatoribus reis quorumdam peccatorum enormium, et insuper omnibus recidivis, quamvis eos et contritos præsumeret et operibus satisfactoriis diu incubuisse sciret. Ita autem Ecclesiam egisse dicunt, non eo quod salutem æternam peccatorum negligeret, aut de ea desperaret; sed eo quod vellet eosdem immediate cum Deo negotium suæ reconciliationis tractare, et contritionem operibus satisfactoriis conjunctam sufficientem haberet ad eam reconciliationem cum Deo absque clavibus Ecclesiæ consequendam [9]. Adde, materiam necessariam illius confessionis, quæ pars erat exercitiorum pœnitentialium, juxta hos fuisse, non solum peccata, quæ diximus *canonica*, sed omnia mortalia [10], etiam secreta et interna. Adde, ex ipsa rei natura fieri non posse, et proinde neque tunc fieri potuisse, ut daretur absolutio sacramentalis, cujus esset peccata quædam (nunc prima vice commissa et non enormia) delere, alia (enormia, aut post præcedentem pœnitentiam iterata) ne indirecte quidem remittere. Inde jure concludes, juxta prædictos auctores sacramentum pœnitentiæ per quatuor priora sæcula, practice, ad instar baptismatis, initerabile fuisse: sacramentum illud, quod est « lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus » [11].

Quid de hisce novitatibus censeamus, ex dicendis patebit.

Propositio IX. *Primis Ecclesiæ sæculis præter confessionem, quæ ad publicam pœnitentium spectabat, in usu fidelium erat alia peccatorum confessio sacramentalis, et communiter secreta.*

Demonstratur. Afferri in primis possent testimonia historica pertinentia ad tempus antecedens institutionem pœnitentiæ canonicæ. Ceteris præstat antiquitate *Doctrina apostolorum*; quæ, ut præparationem ad sacram Eucharistiam suscipiendam, exigit peccatorum confessionem: « In ecclesia confiteberis peccata tua; neque accedes ad orationem tuam in conscientia mala ». Et infra: « Die dominica convenientes, frangite panem et gratias

8) **Boudinhon** apud *Rev. d' hist. et de litter. relig. 1897* pag. 319.
9) **Vacandard** *La conf. sacram. Chap. V.*; **Batiffol** *Etudes* ... pag. 80, 221.
10) At non ea omnia ut mortalia tunc habebantur, quæ mortalia habentur hodie, **Vacandard** *La penit. publ. dans la prim. Eglise* pag. 41.
11) Conc. trid. *Sess. XIV. Cap. 2.* Dicitur: *lapsis*; ergo quoties lapsi sunt.

agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum » [1]. At indoli disputationis nostræ melius respondet argumentatio desumpta ex coexsistentia simultanea duplicis exomologesis; adeo ut iisdem sæculis, quibus pœnitentia publica seu canonica, cum confessione propria vigebat, ostendamus exstitisse confessionem, quæ ab ea exomologesi publica distinguebatur *materiâ, subjecto, institutione, efficacia* et *ministro*.

I. Certum est in usu fidelium fuisse confessionem quamdam, cujus materia erant omnia peccata mortalia post baptismum commissa; atqui confessio, quæ ad publicam pœnitentiam spectabat, non extendebatur ad omnia peccata: ergo... *Minor* patet ex propositionibus præcedentibus, et a protestantibus conceditur. Probatur *major*:

1. Generatim manifestanda erant sacerdoti alia peccata præter canonica. Ita sane *a*) Origenes: « Pronuntiationem iniquitatis, idest confessionem peccati frequenter diximus. Vide quid edocet nos Scriptura divina (*Ps. 37, v. 19*), quia oportet peccatum non celare intrinsecus... Qui peccaverint, siquidem occultant et retinent in se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate et humore peccati: si autem sui ipse accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo inspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere [2]; ut ita demum, si quid ille dixerit, facias et sequaris. Si intellexerit et præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius ecclesiæ exponi debeat (per confessionem publicam) et curari (per publicam pœnitentiam), multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est » [3]. Ergo pœnitentis erat peccata omnia revelare, sacerdotis vero discernere num quædam ex his essent publicæ confessioni aut pœnitentiæ subjicienda: aperiebantur ergo peccata præter canonica. *b*) S. Augustinus: « Dei misericordia desperanda non est agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati » [4]; ibique significat officium fuisse antistitis distinguere peccata, quibus debebatur publica pœnitentia, ab aliis; porro ad hoc requiritur confessio. Pariter alio in loco, postquam dixit tertiam pœnitentiam in Ecclesia subeundam esse pro illis peccatis, quæ legis Decalogus continet, subdit: « Implicatus ergo tam mortiferis

1) *Doctr. apost. IV. 14, XIV. 1.* apud **Vizzini** *I.* l. 51, 69. Editor censet hanc confessionem publicam fuisse; quod non necessarium habet **Palmieri** *Esame*... pag. 129.

2) Ergo plures erant sacerdotes, apud quos confessio hæc fieri poterat; dum minister pœnitentiæ canonicæ, aut erat solus episcopus, aut insuper (a sæculo III.) presbyter pœnitentiarius. Idem indicat **s. Augustinus** *Epist. 328.*

3) **Origenes** *Homilia 2 in Psalmum 37.*

4) **S. Augustinus** *Enchiridion Cap. 65.*

vinculis peccatorum detrectat confugere ad claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cœlo? . . Quid ad Galatas Apostolus? Nonne talia enumerans eodem fine concludit? Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quæ sunt fornicationes, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, . . ebrietates, comessationes, et his similia; . . . quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Judicet ergo seipsum homo; . . . veniat ad antistites Ecclesiæ, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et a præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum » [5]. Porro ad hoc requiritur omnium peccatorum confessio; non enim peccata enumerata sunt omnia canonica: ergo hæc extendebatur ad alia peccata præter canonica.

2. Nominatim patefacienda erant peccata occulta; imo et interna. *a*) Tertullianus: « Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit ». Hujus pœnitentiæ pars est confessio, de qua inferius: « Exomologesis est, qua delictum Domino nostro confitemur; non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur »; et iterum: « Plerosque hoc opus ut publicationem sui suffugere præsumo, pudoris magis memores, quam salutis . . . Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur! Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde et Deum celabimus? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? [6] ». Adverte quod occultorum confessio facta Domino est aliqualis eorumdem publicatio, per quam ea in humanam notitiam veniunt. *b*) Origenes: « Si quod in occulto gerimus, si quod in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri (in extremo judicio); proferri autem ab illo, qui et peccati accusator est et incentor. Ipse enim (diabolus) nunc nos ut peccemus instigat; ipse etiam, cum peccaverimus, accusat. Si ergo in vita prævenamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli effugimus ». Et alibi: « Cogitationes erant malæ in homine: . . quamdiu absconditæ erant, impossibile erat eas penitus interficere. Unde et nos, si peccaverimus, debemus dicere: peccatum meum notum tibi feci . . . Si enim hoc fecerimus, et revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, et sicut caliginem peccata tua » [7]. *c*) S. Cyprianus: « Quanto et fide majores et timore meliores sunt, qui

5) **S. Augustinus** *Homilia 50* inter *50*; vel *Serm. 351 Cap. 4. Num. 9*

6) **Tertullianus** *De pœn. Capp. 4, 9, 10.* Hic liber pro catechumenis « novitiolis » scriptus fuit; cf. *Cap. 6.* At certe agit de pœnitentia postbaptismali.

7) **Origenes** *Homil. 3 in Levit. Num. 4,* et *17 in Lucam.*

quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt » [8]. *d*) Idem testatur s. Irenæus de mulieribus seductis a Marco hæretico: « Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei confssæ sunt, inflammatas valde se illum dilexisse » [9]. Jamvero, hæc erant peccata occulta.

3. Inde est, quod ejusmodi confessio, cujus erat non unum aut alterum delictum exponere, sed quodcumque vulnus lateret intrinsecus, quodcumque onus gravaret animum, revelare, sæpe a patribus *exomologesis conscientiæ* appellatur.

2. In usu fidelium erat confessio, *ad quam omnes omnino fideles peccatores* tenerentur; atqui ad publicam pœnitentiam non omnes tenebantur. saltem semper et ubique: ergo . . . *Minor* sufficienter probata fuit in superioribus, nominatim quoad clericos; et ab omnibus conceditur. *Major* probatur ex ipsa universalitate locutionum ss. patrum.

3. In usu fidelium erat peccatorum confessio, quæ necessaria censebatur *ex institutione Christi*: atqui publica pœnitentia præ omnibus suis elementis erat instituta ab Ecclesia, atque ut talis a patribus et fidelibus habebatur.

Utraque præmissa probari simul potest ex s. Augustino: « In actione autem pœnitentiæ, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris; cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit. Verum, quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, . . . recte constituuntur ab iis, qui ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata; extra eam quippe non remittuntur; ipsa namque Spiritum sanctum accepit, sine quo non remittuntur peccata, ita ut quibus remittuntur, consequantur vitam æternam » [10]. Seorsim *major* probatur *a*) ex testimoniis Tertulliani et Origenis supra relatis. *b*) S. Pacianus: « Numquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœninitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est; sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Quid est illud, quod apostolis dicit: *quæ ligaveritis . . .; quæcumque solveritis*? » [11]. *c*) S. Augustinus: « Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago . . . Ergo sine causa dictum est: *quæ solveritis in terris soluta erunt in cœlo*? Frustramus evangelium Dei? fru-

8) **S. Cyprianus** *De lapsis Num. 20*; al. *28*. Ed. **Baluze** pag. 190.

9) **S. Irenæus** *Adv. hær. Lib. I. 6*. Similia **s. Ambrosius** *De pœnit. 10*; **s. Pacianus** in *Parenes. ad pœnit. 7*; **s. Jo. Chrysostomus** *Homil. 9 in Epist. ad Hebræos*; **s. Hieronymus** *In Eccli. 10*; et alii apud **Natalem** *Sæc. XIV. Dissert. XIV.*; **Jungmann** *VIII.*; **Vacandard** *La conf. sacram. Chap. IV.*

10) **S. Augustinus** *Enchiridion Cap. 65*. Vide et **Faure** in *h. l.*

11) **S. Pacianus** *Epist. 3 ad Sympron. Num. 6*, coll. *loc. cit.*

stramus verba Christi? » [12]. *d*) Hæc est ea reconciliatio, cujus concedendæ potestatem episcopus consecrans adprecabatur electo: « Concede ei, Domine, episcopatum, clementiam et potestatem ad remittenda peccata » [13]; quam Deus ministris Ecclesiæ dedisse testabatur Hermas: « Misericors Dominus misertus est figmenti sui, et posuit pœnitentiam istam, et potestatem pœnitentiæ hujus mihi (ait *Pastor*) dedit » [14]. *e*) Tertullianus: « Cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi?... Peccator, restituendo sibi institutam a Domino exomologesin sciens, præteribit illam? » [15]. *Minor* facile probatur disertis testimoniis, quæ superius attulimus.

4. In usu fidelium erat confessio ordinata ad obtinendam *reconciliationem cum Deo*; atqui integra disciplina publicæ pœnitentiæ erat ordinata ad satisfaciendum quidem etiam Deo, sed ad obtinendam reconciliationem tantum cum Ecclesia: ergo...

Major patet ex allatis testimoniis, quibus et alia addi possent. Puta *a*) Origenis: « Est et septima, licet dura et laboriosa, per pœnitentiam peccatorum remissio (a Deo), cum peccator non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam, secundum eum qui ait: Dixi: pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei » [16]. Hæc est ratio, *b*) qua confessio hæc dicitur *facta Deo* vel *apud Dominum*, ut habent Origenes, Ambrosius, Jo. Chrysostomus; vel confessio *facta Christo* per sacerdotes, ut habet Anastasius sinaita; vel confessio primum *Deo oblata*, dein sacerdoti, ut habet s. Leo Magnus [17]. Quare et subsequens reconciliatio facta per sacerdotes Dei dicitur *grata apud Dominum*, imo et *facta a Deo*. Hæc *c*) reconciliatio cum Deo per confessionem, ut jam exeunte sæculo I. tradebat *Doctrina apostolorum*, animam justificat, eamque facit esse hostiam puram ea puritate,

12) **S. Augustinus** *Hom. 49* inter *50* (vel *Sermo. 392* nonnihil dubius).

13) Ita sic dicti *Canones Hippolyti Can. 17*; qui juxta alios sunt sæculi V., juxta alios sæculi III. ineuntis. Cf. *Revue bibl. 1894* pag. 42-46, *1901* 252-259; *Rev. d'hist. eccl. 1902* pag. 615-643; **Bardenhewer** *Patrol. § 76 Num. 6.* Exstant apud **Duchesne** *Origines... Append.* (Edit. 2).

14) **Hermas** *Pastor. Mand. IV. Cap. 3.* (Edit. **Vizzini** *I.* IV. 133).

15) **Tertullianus** *De pœnit. Cap. 12.*

16) **Origenes** *Hom. 2. in Levit.* Cohæret testimonium Tertulliani nuper allatum. Affertur insignis **s. Zenonis** et sæpe repetita sententia ex *Lib. II. Tract. 39, 41*: « Novum judicii genus, in quo reus, si excusaverit crimen damnatur, absolvitur si fatetur ». Verum hæc sanctus habet de confessione antebaptismali: melius in rem nostram quæ habet *Tract. 14.* circa finem. Quare non omnia probamus quæ habet **Giuliari** In *S. Zen. Proleg. Cap. V. 14.*

17) **Origenes** *Hom. 2 in Ps. 33*; **s. Jo. Chrysostomus** *Hom. 4 in Laz., Hom. 2 in Ps. 50*; **s. Ambrosius** *De pœnit. I. Capp. 1, 7, 36.* etc.; **Anastasius** sinaita *De sacra synaxi Num. 5.*

quæ ad sacram Eucharistiam suscipiendam requiritur [18]. Quapropter *d*) hæc peccatorum confessio apud sacerdotes Dei habebatur tamquam necessaria ad justificationem et ad salutem æternam. Ita, omissis ceteris, Aphraates : « Eum, qui a satana percussus est, non debet pudere delictum suum confiteri, illudque relinquere et pœnitentiam in remedium postulare . . . Ita prorsus ei, qui superatus est, hæc superest via sanitatem recipiendi, ut dicat: peccavi, et pœnitentiam postulet. Si quis autem erubuerit, sanari non poterit ; quoniam plagas suas non vult patefacere medico ». Dein sacerdotes alloquens : « Vos igitur medici, qui insignis Medici nostri estis discipuli, non debetis medicinam negare iis, quibus opus est . . . Audite et vos, qui claves portarum cœli tenetis, et fores aperite pœnitentibus » [19]. Idipsum *e*) confirmatur ex controversia sæculis II. et III. agitata contra montanistas. Hæc enim tota versabatur circa extensionem potestatis, quam Christus contulerit Ecclesiæ remittendi peccata coram Deo ; quam catholici volebant esse universalem, montanistæ limitatam : ergo ea confessio, quæ in usu communi erat, habebatur ab utrisque ut justificans coram Deo. — *Minor* evidens est ex universa historia publicæ pœnitentiæ. Per impositionem manûs pœnitens consequebatur pacem, seu perfectam communionem cum Ecclesia et jus completum participandi de altari.

5. In usu fidelium erat confessio, in qua *minister reconciliationis solus esset sacerdos* : atqui in ea confessione, quæ erat pars publicæ pœnitentiæ, minister poterat esse etiam diaconus. Ergo duplex erat in usu fidelium confessio peccatorum; una sacramentalis coram sacerdote nomine Dei absolvente, alia canonica coram episcopo vel presbytero vel diacono reconciliante cum Ecclesia, nomine Ecclesiæ.

Probatur *major*, quæ catholicis certa est et de fide: *a*) Patres, quoties indicant ministrum reconciliationis cum Deo, semper nominant sacerdotem. Ita s. Cyprianus de iis, qui sacrificare cogitarunt, ait quod « hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt ». Et alibi : « Confiteantur singuli delictum suum, dum confessio admitti potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotem apud Dominum grata est » [20]. Ita et Origenes eam dicit laboriosam remissionem peccatorum, qua peccator « non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum » [21]. Quinimo *b*) quan-

18) *Doctr. apost. IV. 16, XIV. 2.* Cf. **Minasi** *La Dottrina* pag. 182-185.

19) **Aphraates** *Demonstr. VII. De pœnit. Num. 2-4, 11.*

20) **S. Cyprianus** *De lapsis N. 20* al. *28*. Recentes, ut evincant nonnisi unam fuisse pœnitentiæ rationem, affirmant nomine *sacerdotis* apud patres, saltem latinos, usque ad sæculum VI. venire tantum *episcopum* ; ita **Batiffol** pag. 167, 204. Verum dubitamus, num, quod hi positivistæ affirmant, id positive demonstrent. — Nostra nunc interest excludi diaconos.

21) **Origenes** *Hom. 2 in Levit. 4.* Ita et **s. Basilius** *Reg. brev. Interr. 288.*

doque hoc officium solis sacerdotibus reservatum esse dicunt. Ita s. Ambrosius: « Jus hoc (absolvendi a peccatis) solis permissum est sacerdotibus » [22]. Quare *c*) iidem patres ex hoc munere dignitatem sacerdotalem extollunt, eadem ratione, qua ex potestate offerendi sacrificium. Ita ss. Hieronymus, Cyrillus jerosolymitanus, Jo. Chrysostomus, Gregorius Magnus et alii.

Minor probatur ex s. Cypriano: « Si infirmitatis periculo occupati fuerint,.. apud presbyterum, vel, si presbyter repertus non fuerit,... apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut, manu eis in pœnitentiam impositâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt ». Item ex concilio illiberitano: « Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud episcopum. Cogente tamen infirmitate, necesse est presbyterum communionem præstare, et diaconum, si ei jusserit sacerdos » [23].

Conclusio. 1. Eodem tempore, quo in usu erat publica et canonica pœnitentia, simul cum confessione, quæ ejusdem pœnitentiæ pars erat, et proinde satisfactoria, in usu quoque erat alia confessio, cujus materia essent omnia peccata etiam occulta et interna, ad quam omnes omnino fideles peccatores tenerentur, quæ ab ipso Christo instituta haberetur, cujus efficacia esset reconciliatio peccatoris cum Deo, cujus absolutio a sacerdote ut Dei ministro conferri posset. Porro hæc est confessio sacramentalis, per quam peccator, ex corde pœnitens, sententiam absolutionis et vere coram Deo justificantem implorabat. Ergo antiquitas christiana veritatem sacramenti pœnitentiæ agnoscebat.

2. Tum argumenta theologica, tum documenta historica evincunt hac confessione sacramentali, nedum manifestanda, sed et per claves remittenda fuisse omnia peccata, etiam illa, quæ canonica dicuntur, et etiam in casu relapsûs. Nulla ergo erant peccata, licet enormia aut conjuncta cum circumstantia relapsûs, quorum absolutionem Deo Ecclesia reservaret; adeo ut hæc a Deo non per ministerium sacerdotis, sed per satisfactionem canonicam contritioni conjunctam remitterentur.

3. Adjecimus in enuntianda propositione hanc confessionem fuisse communiter secretam. Hoc *a*) indicat in primis ea locutio adeo frequens *confessio facta Deo*, vel *facta sacerdoti Domini*; vel *facta Christo per sacerdotem*. Idem *b*) probat electio sacerdotis pœnitentiarii in ecclesiis orientalibus, qui debebat esse taciturnitate et prudentia insignis. *c*) Confirmat praxis s. Ambrosii, qui lapsûs pœnitentium nulli, nisi Domino soli, loquebatur; item

22) **S. Ambrosius** *De pœnit. Lib. I. Cap. 2.*

23) **S. Cyprianus** *Epist. 12*; Concilium illiber. *Can. 32.* Cf. et tolet. 1 *Can. 2.* Hæc absolutio dari quoque poterat ab episcopo vel diacono, cui nullo modo fuissent confessa peccata; dari insuper poterat et absenti. Cf. *Ord. 19* apud **Martene** *De Eccl. ritibus I. 6*; **Morinum** *Op. cit. VIII. 25, 26.*

similis praxis s. Augustini ; et nota, qua quorumdam praxim contrariam damnat s. Leo ut improbabilem consuetudinem et contrariam regulæ apostolicæ ; « cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta ». Si protestantes hanc confessionem sacramentalem secretam dicere malint *auricularem*, concludimus primis Ecclesiæ sæculis in usu fidelium communi fuisse confessionem auricularem. Ceterum non negamus potuisse quandoque fideles ex spontanea pietate, vel alicubi ex lege quorumdam episcoporum debuisse, sua peccata palam, h. e. coram clero vel ceteris quoque fidelibus, sacramentaliter confiteri: non hinc pendet veritas sacramenti pœnitentiæ.

Obiectiones graviores, quas ex historia petunt protestantes, hæ sunt : 1. *De patribus* ceterisque sanctis vetustioribus non legimus quod saltem in periculo mortis sua peccata confessi fuerint.

Respondemus : *a*) Argumentum est negativum, eo magis quod pauca habemus monumenta antiquitatis, et hæc confessio *facta Deo* proprie ad res enarrandas non pertinebat. *b*) De iisdem sanctis legimus, quod confessiones fidelium excipiebant, et confessionis necessitatem inculcabant [24]. *c*) Negare non possumus rarius tunc a sanctis confessionem fieri consuevisse quam hodie; cum rara admodum fuerit confessio venialium [25]. *d*) De pluribus judicare liceat, quod confessi fuerint, eo ipso quod dicuntur Eucharistiam suscepisse. *e*) De s. Eligio episcopo noviomagensi (sæc. VII.) s. Audenus ipsi coævus narrat : « Cum jam Eligius virilem ageret ætatem, cupiens se vas Deo exhibere sanctificatum, ... omnia ab adolescentia sua coram sacerdote confessus est acta, sicque sibi austeram imponens pœnitentiam, cœpit fortiter colluctationi carnis, spiritus fervore resistere » [26].

2. *Confessio* illa, de qua patres loquuntur, introducta primum fuit inter monachos causa devotionis, vel etiam inter fideles ad instructionem, vel congruam satisfactionem accipiendam.

Respondemus: *a*) Ea confessio traditur tamquam necessaria ad vitam æternam. *b*) Monumenta citata referuntur ad omnes fideles indiscriminatim. *c*) Mulieres seductæ a Marco mago nullatenus moniales erant; ipsæ autem adeo putarunt sibi confessionem ut necessariam inculcari, ut plures quidem sua peccata confessæ fuerint, quædam, hoc ipsum reverentes, in silentio seipsas retraxerint a vita Dei desperantes, quædam in totum

24) Quod s. Ambrosius confessiones fidelium exciperet, et quomodo, narrat **Paulinus** *Vita s. Ambr. 9.* Cf. **Magistretti** *Il sacram. della confess. secondo s. Ambrogio* apud *Scuola catt. 1903* pag. 493-512. **S. Augustinus**, vel auctor coævus aut suppar : « Si ad ultimum vitæ steterit (peccator), nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo et sacerdoti peccata sua confiteri poterit ». *Serm. 393 De pœnit.*

25) **Natalis** *Sæc. XIV. Dissert. XIV. § 26*, seqq.

26) **Audenus** *Vita s. Eligii Lib. I. Cap. 7* apud **D'Achery** *Spicil. V.* Cf. et **Martene** *De ant. Eccl. rit. L. I. P. II. Cap. 6, art. 2.*

abscesserint aut inter utrumque dubitaverint [27]. *d*) De instructione per exomologesim accipienda nusquam sermo occurrit in monumentis allatis. Confessio peccatorum venialium inducta primum est inter monachos (nisi forte antea penes montanistas, qui potestatem clavium ad sola leviora coarctabant); et quidem devotionis et instructionis causa, magis quam ad remissionem [28]: sed confessio mortalium semper in usu fuit, et quidem in ordine ad absolutionem. *e*) Quod si facienda erat confessio etiam ad accipiendam satisfactionem, hic finis secundarius semper fuit, qui principalem supponebat alibi expresse significatum. Hic duplex finis confessionis indicatur a Tertulliano: « Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia (absolutio sacramentalis) nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur ».

3. *Clericis majoribus* non videtur umquam concessa pœnitentiæ; ergo, si concessio pœnitentiæ adsignificat concessam absolutionem, peccata horum clericorum alio modo remittebantur a Deo, quam per confessionem et absolutionem.

Respondemus quod, etsi clericis negaretur pœnitentia publica [29], eis tamen concedebatur pœnitentia privata et simul sacramentalis absolutio.

Ceterum protestantibus et criticis concedimus, quod usus confessionis sacramentalis rarior sæculis illis erat. Ratio hujus rei potissima ea fuit, quod generatim confessio venialium non fieret; cumque non facile esset (nec sit) hæc a mortalibus discernere, fideles non raro in judicium benignius et praxim laxiorem inclinabant. Adde quod a sæculo IV. rarior et rarissimus fieri cœpit usus sacramenti Eucharistiæ; cum quidam arbitrarentur « hoc esse pœnitentiam, si abstineant a sacramentis cœlestibus » [30]: et nonnulli semel in anno aut rarius accedere solerent.

Ad discipulorum concertationem: Cum primi christiani frequentissime communicarent, debuissent et frequentissime confiteri; porro *a*) nedum frequentiæ, sed ne praxis quidem confitendi supersunt in monumentis eorum sæculorum vestigia; *b*) nec exsistunt theologiæ moralis antiqui tractatus; *c*) nec antiqui libri pœnitentiales, præter eos qui pœnitentiam canonicam respiciunt; *d*) inde explicatur, cur ethnici nihil umquam christianis objecerint, quod ad sacramentum pœnitentiæ alludere videatur. *e*) Ipse s. Augustinus a peccatore, qui se crimine vulneratum cognoverit, exigit ut prius orationibus, jejuniis vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, et sic Eucharistiam præsumat accipere [31]; nullam vero mentionem facit de

27) **S. Irenæus** *Op. cit. 13*: cf. **Massuet** *In Iren. Diss. III. Art. VII. 75.*

28) Cf. **Carpentier** apud *Acta bolland. Oct.* IX. 722 (Paris. 1869).

29) Alicubi tamen concedebatur, ut patet ex *Can. 4.* conc. araus. 1: cf. **Frank** *Op. cit.* 468, seqq.

30) **S. Ambrosius** *De pœnit. II. 9.* Similes querelas habet **s. Jo. Chrysostomus** *Hom. 3 in Ep. ad Eph., 17 in Ep. ad Hebr.* Cf. **Carpentier** *loc. cit.*; **Frank** pag. 368; **Jungmann** *VIII. 61-66.*

31) **S. Augustinus** *Serm. 252 De temp. Num. 2.* (*229 Append.* dubius).

confessione. *f*) Monumenta priorum quatuor sæculorum eodem modo loquuntur de confessione fidelium, quo de confessione catechumenorum : porro nemo dicet hanc esse institutam a Christo et esse sacramentum [32].

Propositio X. *In ecclesia constantinopolitana* a) *in usu erat ante Nectarium secreta sacramentalis confessio ; neque* b) *confessio hæc a Nectario et aliis episcopis abrogata fuit.*

Expositio facti. — Cum anno 381 s. Gregorius nazianzenus se ab episcopatu constantinopolitano abdicasset, electus fuit quidam Nectarius catechumenus, qui brevi initiatus, baptismo et episcopalia munia edoctus, sedem illius ecclesiæ tenuit annis decem et octo. Celebris est in historia propter abrogationem presbyteri pœnitentiarii ; quam ita narrant antiqui scriptores græci. Socrates : « Sub idem tempus presbyteros ecclesiarum, qui pœnitentiæ præerant, placuit aboleri ; idque ob hujusmodi causam. Postquam novatiani se ab Ecclesia sejunxissent, eo quod cum illis, qui in persecutione deciana lapsi fuerant, communicare noluissent, ex illo tempore episcopi pœnitentiarium presbyterum albo ecclesiastico adjecerunt, ut qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem constituto delicta confiterentur... Cum hoc institutum diu retinuissent, tandem Nectarii episcopi temporibus abrogarunt, ob facinus quoddam, quod in ecclesia commissum fuerat. Mulier quædam nobilis, ad pœnitentiarium presbyterum accedens, delicta post baptismum a se perpetrata singillatim confessa erat : presbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis et orationibus continuis vacaret, quo scilicet, una cum delictorum confessione, opus etiam pœnitentiæ conveniens ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est ; ecclesiæ videlicet diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cum dixisset, diaconus quidem ab ecclesia ejectus est, populus vero graviter commoveri cœpit. Neque enim solum ob scelus, quod patratum fuerat, indignabatur ; verum etiam eo quod labes non mediocris atque infamia hoc facto aspersa videretur Ecclesiæ. Cum igitur ob eam causam ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam episcopo Nectario suasit, ut pœnitentiarium quidem presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem sineret accedere... Causam ex eo singulis datam esse video, ut delicta sua invicem non coarguant » [1]. Sozomenus : « Per idem tempus Nectarius constan-

32) Plurimas difficultates historicas congerit et diluit **Natalis** *Diss. cit.*

1) **Socrates** *Hist. eccl. V. 19.* De Socrate, a quo ceteri hanc narrationem mutuati sunt (**Batiffol** pag. 151), adverte, quod forte novatianus erat et certe spiritûs ac disciplinæ Ecclesiæ valde imperitus. Cf. **Tillemont** *Memoires* Tom. X. *S. Ambroise* et **Jungmann** *VIII. 8.*

tinopolitanus episcopus presbyterum illum, qui præpositus erat pœnitentibus, primus ex ecclesia sustulit, cujus exemplum omnes fere episcopi postea sunt secuti . . . Cum in nullo penitus peccare divinioris cujusdam naturæ sit et humana præstantioris, pœnitentibus vero, etiamsi sæpius deliquerint, veniam dare Deus præceperit, cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat; grave ac molestum ab initio visum est sacerdotibus, tamquam in theatro, circumstante totius ecclesiæ multitudine crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset, et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero pro uniuscujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat pœnitentes, a seipsis pœnas criminis exacturos ». Subdit hunc morem in occidentalibus ecclesiis, maxime in romana, servari; describens autem morem ecclesiæ romanæ, describit pœnitentiam publicam, ejusque præpositum significat esse episcopum. Prosequitur: « In constantinopolitana autem ecclesia certus presbyter constitutus erat, donec matrona quædam nobilis » etc. Narrat deinde factum iisdem fere verbis ac Socrates [2].

Duplici ac diversa via ex hac historia protestantes impugnant confessionem secretam. Calvinus contendit confessionem sacramentalem secretam fuisse a Nectario et aliis episcopis abrogatam; unde colligit eam non esse institutionis divinæ [3]: Dallæus e contra colligit numquam sacramentalem confessionem in usu Ecclesiæ fuisse [4].

Demonstratur prima pars. Omissa demonstratione generali, ita propositionem demonstramus relate ad ecclesiam constantinopolitanam ex ipsis auctoribus, qui opponuntur: *a*) Qui post baptismum lapsi essent, confitebantur peccata sua; cum in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat. *b*) Confitebantur peccata omnia, ut patet sive ex ratione allata, sive ex casu præsenti; nam mulier confessa fuerat singillatim omnia peccata a se post baptismum perpetrata. Adde: agitur de consequenda venia eorum peccatorum, a quibus abstinere se posset tantummodo natura quædam divinior et præstantior humanâ; porro id dici non potest de peccatis canonicis: ergo peccata in universum spectantur. *c*) Usus hic confitendi peccata ad obtinendam eorumdem remissionem viguerat in Ecclesia jam ab initio. *d*) Confessio hæc erat secreta ante Nectarium; quippe quæ facienda erat apud sacerdotem taciturnitate pollentem. *e*) Ea-

2) **Sozomenus** *Hist. eccles. VII. 16*; **Nicephorus** *Hist. XII. 28.*

3) **Calvinus** *Institut. christ. Lib. III. 4*: « Hic aures asini isti (catholici) arrigant; si lex Dei erat auricularis confessio, quâ ausus fuisset Nectarius eam refigere et convellere? » Ita et **Steitz** apud **Jungmann** *Num. 35.*

4) **Dallæus** *De sacram. latinorum confessione Lib. IV. Cap. 24.*

dem confessio erat sacramentalis; nam presbyter absolvebat pœnitentes a seipsis pœnas criminum exacturos. Ergo auctores citati, loquentes de usu ecclesiæ constantinopolitanæ, significant in ea ecclesia jam ante Nectarium exstitisse sacramentalem confessionem secretam, qualis nunc exsistit in Ecclesia catholica.

Opponit Dallæus: Si privata confessio in usu Ecclesiæ fuisset, de ea mentionem haberent auctores allati, præsertim in describenda origine et abrogatione presbyteri pœnitentiarii.

Respondemus: *a*) Argumentum est negativum: nulla enim erat ratio, quæ exigeret a Socrate et Sozomeno mentionem confessionis privatæ, cum institutio et abrogatio presbyteri pœnitentiarii nullo modo mutaverint disciplinam pœnitentiæ sacramentalis, sed unice mutaverint ministrum pœnitentiæ canonicæ. *b*) Falsum asserit Dallæus; tum Socrates, tum Sozomenus, agentes de institutione et abrogatione presbyteri pœnitentiarii, aperte testantur usum confessionis sacramentalis secretæ.

Demonstratur altera pars. 1. Non fuit a Nectario abrogata confessio sacramentalis secreta. Sane: *a*) Quamvis auctores clare significent exstitisse ante Nectarium confessionem secretam, nihil tamen dicunt, quod de ejusdem secretæ confessionis abrogatione necessario sit accipiendum. *b*) Ex tota eorum narratione abrogata fuit praxis illa, ex qua evenit ut delictum in publicam notitiam veniret; causa autem hujus publicationis non fuit confessio secreta apud sacerdotem, sed vel confessio publica, vel publicatio quælibet peccati occulti occasione publicæ pœnitentiæ [5]; ergo ex ea narratione hoc tantum colligi posset, fuisse a Nectario abrogatam confessionem publicam, vel publicam pœnitentiam pro peccatis occultis. *c*) Id fuit abrogatum a Nectario, quod fuerat institutum tempore Novatiani; porro non fuit eo tempore instituta secreta sacramentalis confessio, quæ in Ecclesia jam *ab initio* exsistebat.

2. Quid ergo abrogavit Nectarius? — Certe *a*) munus presbyteri pœnitentiarii; cujus erat disciplinam pœnitentiæ canonicæ moderari, ac peccatores, eidem juxta leges ecclesiæ constantinopolitanæ obnoxios, ad eamdem adigere sub pœna exclusionis tum a cœtu fidelium, tum a participatione Eucharistiæ. Eo munere abrogato, Nectarius voluit ut disciplina pœnitentialis Constantinopoli ad normas communes redigeretur, secundum quas ejus minister erat solus episcopus. *b*) Abrogavit ne simul ipsam publicam confessionem et pœnitentiam? Certe abrogavit tum confessionem, tum pœnitentiam publicam criminum occultorum, siquidem ea in usu fuerit Constantinopoli. Attamen *c*) quod

5) Disputant auctores, num una an duplex fuerit mulieris confessio; num saltem altera publica fuerit; item quandonam crimen a diacono patratum fuerit; num hoc ex confessione publica mulieris, an ex ejusdem accusatione juridica, an ex ipsa facti publicitate in notitiam publicam devenerit; etc. Omnia hæc ostendunt agi de facto obscurissimo. Cf. **Jungmann** *17-26*.

Nectarius et alii episcopi universim abrogaverint publicam confessionem et pœnitentiam, est omnino improbabile ; quamvis id expresse dicat Sozomenus. Sane, abrogato presbytero pœnitentiario, satis consultum erat, ne scandalum iteraretur. Insuper celebres erant eo tempore canones pœnitentiales s. Basilii et s. Gregorii nysseni adhuc viventis : Nectarius vero nec sanctitatis, nec scientiæ fama vigebat ; incredibile est ergo quod omnes fere episcopi, ejus exemplum secuti, pœnitentiam publicam abrogaverint. Ceterum *d*) ; sicut in parte hujus propositionis negativa omnes fere catholici, plerique etiam protestantes, consentiunt, ita et isti ab illis, et tum isti, tum illi inter se dissentiunt in parte affirmativa [6].

3. Verum quod in ipsa ecclesia constantinopolitana perseveraverit usus sacramentalis confessionis etiam post Nectarium, probari potest, præsertim e pluribus testimoniis, quæ theologi proferunt ex s. Jo. Chrysostomo immediato Nectarii successore [7].

Opponit Calvinus : Nectarius « unumquemque pro arbitrio suo et animi sui conscientia permisit ad communionem sacramentorum accedere ».

Respondemus : Scilicet Nectarius, abrogato munere presbyteri pœnitentiarii, et forte, ut quidam putant, ipso tribunali fori exterioris, neminem deinceps per sententiam fori exterioris a communione sacramentorum rejecit, in vitam singulorum inquirens vel delationes excipiens [8] ; sed eam communionem conscientiæ singulorum commisit, ut qui se dignos haberent, accederent ; qui indignos, aut se dignos facerent, aut recederent : ac ita pro arbitrio suo, non judicis exterioris, acciperent, vel non. Ex hac suppressione tribunalis fori externi duo effectus provenerunt : Primum refert Socrates ; quod singuli non amplius ad invicem sua peccata arguere poterant ; alterum Sozomenus deplorat ; quod ex Eudæmonis consilio inducta fuit morum relaxatio inter fideles et multiplicata fuerunt peccata.

Denique præ oculis habendum est id, quod monet Francolinus ; historiam hanc spectatam quoad omnes suas partes esse omnino improbabilem. Nam, præterquamquod in assignanda origine presbyteri pœnitentiarii non satis sibi cohærere videntur Socrates et Sozomenus, aliqua sunt in utroque, quæ ceteris

6) Varias eruditorum opiniones refert et perpendit **Jungmann** *loc. cit.*

7) Omittimus ea, quæ contra veritatem hujus sacramenti ex eodem s. Joanne protestantes depromunt. Cf. **Palmieri** *De pœnit. Th. XXXIV.*

8) De hoc tribunali ita jam **Origenes** *Contra Celsum Lib. III.* « Apud quos (christianos) quidam sunt constituti ad inquirendum in vitam eorum qui ad sacra ipsorum accedant, et eos qui turpia facinora perpetrant a publicis ipsorum conventibus arceant ». Et **s. Augustinus** sic mulieres christianas hortatur *Homil. 50* inter *50* : « Nolite viros vestros permittere fornicari : interpellate contra illos Ecclesiam ; non dico judices publicos, non consulem, non vicarium, non imperatorem ; sed Deum Patrem, Filium, Spiritum sanctum ». Cf. et **Tertullianum** *Apolog. Cap. 39.*

monumentis illius ætatis repugnant; ut ex eo quoque apparet, quod auctores in alias et alias abeunt sententias, quando ex narratione Socratis et Sozomeni eruere volunt quid tandem Nectarius ceterique episcopi abrogaverint [9].

CONCLUSIO

Confidimus sufficienter demonstratas fuisse nostras *Propositiones*. Simul vero ex iisdem demonstratis censemus legitimas esse sequentes deductiones:

I. Doctrina theoretica de veritate, de essentia ac de necessitate sacramenti pœnitentiæ, quam modo tenet Ecclesia catholica, eadem quoad substantiam a patribus proponebatur et ab iisdem et a fidelibus cognoscebatur et credebatur in primitiva Ecclesia: licet non proponeretur nec cognosceretur et crederetur explicite sub omnibus et singulis notionibus particularibus, quæ distinctius et clarius enucleatæ fuerunt sæculis sequentibus, sive studiis scholarum catholicarum post s. Thomam, sive præsertim occasione controversiarum cum protestantibus et jansenianis. Ita aliquando et alicubi peccata quædam censeri potuerunt irremissibilia per claves Ecclesiæ; alias et alibi diverso criterio æstimari potuit gravitas vel levitas quorumdam peccatorum; quidam fideles, imo et sacerdotes et episcopi, censuerunt satisfactionem necessario præmittendam esse absolutioni, aut confessionem publice esse faciendam, aut peccata per intercessionem martyrum condonari a Deo, et alia hujusmodi. At, licet voces *materia* et *forma* ignotæ essent, omnes tamen et cognoscebant et credebant necessitatem confessionis omnium peccatorum mortalium, et doloris, et satisfactionis; item necessitatem ministerii sacerdotalis, per quod peccata remitterentur a Deo.

2. Praxis administrandi et suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, qualis hodie viget in Ecclesia catholica, eadem quoad substantiam relate ad peccata mortalia vigebat in Ecclesia primitiva: licet differentiæ quædam accidentales inter utramque praxim exsistant; sive, quia tunc minus evolutæ erant notiones theoreticæ; sive, quia alia et non semper et ubique identica erant adjuncta diversorum temporum et locorum.

9) **Francolinus** *De disc. pœnit. ll. 5.* Cf. et **Baronium** *Ann.* ad *a. 56, Num. 390*; **Palma** *Prælect. hist. eccles.* I. *Cap. 49.*

INDEX

PRÆNOTIONES . . . . . pag. 3

Prop. I. Eo tempore, quo disciplina pœnitentiæ publicæ vigebat, nulla exsistebat lex universalis, quæ eam determinatis canonibus ubique moderandum esce sanciret . . . . » 5

Prop. II. Non pro omnibus peccatis mortalibus imponebatur publica pœnitentia . . . . . » 6

Prop. III. Publicæ pœnitentiæ non subjiciebantur rei peccatorum, quæ canonica dicuntur, si hæc occulta fuissent . . . » 8

SCHOLION . . . . . » 11

Prop. IV. Impositio manus, quæ fiebat super publicos pœnitentes, non erat sacramentalis absolutio . . . . . » 15

Prop. V. Admitti nequit talem fuisse primitivæ Ecclesiæ disciplinam, ut tantummodo in tertio vel in quarto gradu pœnitentibus absolutio sacramentalis concederetur . . . . . » 17

Prop. VI. Sacramentalis absolutio concedebatur independenter a canonibus pœnitentialibus; probabile est autem eam pro peccatis canonicis dari communiter consuevisse ab initio totius pœnitentiæ canonicæ . . . . . » 22

Prop. VII. Iis, qui peractâ publicâ pœnitentiâ in eadem vel graviora crimina canonica relaberentur, non amplius publica pœnitentia concedebatur; concedebatur tamen pœnitentia privata et sacramentalis absolutio, etiam ante periculum mortis » 26

Prop. VIII. Disciplina fuit constans in Ecclesia primitiva, ut absolutio sacramentalis pœnitentibus non denegaretur, quamvis vel illam in exitu tantum postularent, vel gravissima crimina perpetrassent . . . . . » 30

SCHOLION . . . . . » 35

Prop. IX. Primis Ecclesiæ sæculis præter confessionem, quæ ad publicam pœnitentiam spectabat, in usu fidelium erat alia peccatorum confessio sacramentalis, et communiter secreta » 37

Prop. X. In Ecclesia constantinopolitana in usu erat ante Nectarium secreta sacramentalis confessio; neque confessio hæc a Nectario et aliis episcopis abrogata fuit . . . . » 46

CONCLUSIO . . . . . » 50

JO. BAPTA PIGHI CAN.

INSTITUTIONES HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

AD VOTA

SS. D. N. LEONIS PP. XIII.

IN EPISTOLA « SÆPENUMERO » 18 AUGUSTI 1883

ESTRATTI DI LETTERE ALL'AUTORE

Faccio con Lei le più sincere congratulazioni, perchè col suo dotto lavoro ha riempiuto il gran vuoto, che si lamentava di un compendio di Storia ecclesiastica, specialmente pel giovane clero... Faccio voti che il suo pieno lavoro sia accettato come testo nei Seminari d'Italia, ben sicuro dei grandi vantaggi, che anche per le ecclesiastiche discipline ne sentiranno i giovani chierici.

Venezia 23 sett. 1902

GIUSEPPE Card. SARTO

REVERENDISSIMO SIGNORE,

Col foglio della S. V. mi sono pervenuti i due esemplari, che Ella mi ha inviati delle sue *Institutiones historiæ ecclesiasticæ*; e mi sono recato a premura di umiliare al Santo Padre la copia a Lui destinata. Sono quindi lieto di significarLe che l'omaggio di V. S. è stato accolto da Sua Santità con particolare gradimento. L'Augusto Pontefice si è compiaciuto dello studio solerte ed illuminato, che Ella mette nell'illustrare la vita storica della Chiesa; ed ha mostrato di non dubitare punto del molto vantaggio, che lo zelo e la dottrina di V. S. sarà per arrecare, non solo ai giovani chierici, ma ancora ad ogni studioso delle ecclesiastiche discipline. Egli è perciò che a premio delle incontrate fatiche il Santo Padre le imparte con ogni affetto l'Apostolica Benedizione; ed io nel dargliene l'annunzio Le offro insieme a meritate congratulazioni i più vivi ringraziamenti per l'esemplare offertomi.

Roma 26 ottobre 1902

M. Card. RAMPOLLA

Reverendissimo Professore e Monsignor mio,

Godo meco stesso, e mi rallegro altamente con Lei per la tanto sospirata e finalmente compiuta pubblicazione della sua Storia Ecclesiastica ad uso dei nostri Seminarii; pubblicazione che ridonda ad onore di Lei, ed anche di questo nostro dilettissimo Seminario.

Era comune fra i Professori delle scienze teologiche il desiderio che fosse quantoprima pubblicato un Corso di Storia Ecclesiastica, il quale agli altri pregi unisse quello di essere opportuno per le scuole di teologia; un Corso cioè, narrativo insieme ed apologetico, il quale alla piena ortodossia e romanità della dottrina accoppiasse quelle due doti tanto ritrose ad andare di conserva, la brevità e la chiarezza; per cui si raccomandasse quale testo di insegnamento nelle scuole dei nostri Seminarii, già provvedute di buoni testi moderni negli altri rami di insegnamento.

Ebbene; io non esito punto ad affermare con la più viva compiacenza, che Elia con questa pubblicazione si acquistò il diritto alla benemerenza delle scuole cattoliche, avendo colmato il vuoto lamentato da tutti, ed egregiamente soddisfatto ai legittimi desiderii comuni.

Il metodo rigorosamente scolastico tenuto nelle Dissertazioni concilia alla brevità del discorso la maggiore limpidezza delle prove, e mantiene fisso davanti alla mente del lettore sia il punto da dimostrare, sia la forza degli argomenti. Chiunque sia anche mediocremente versato nelle materie scientifiche, deve convenire che questo metodo, adottato già da Natale Alessandro, Zaccaria, Berti ed altri, giova mirabilmente all'ordine, che è tanta parte nell'insegnamento della Storia; quantunque altri possa apprezzare e seguire altri metodi, del che non è qui da discutere. E basti della forma.

Quanto poi alla purezza della dottrina cattolica, non mi perito di dichiarare che essa costituisce l'essenza di questo suo Corso; così che non solo il dogma in tutti i suoi molteplici rapporti, ma e le sentenze tutte, e fino le opinioni dottrinali esprimono sempre il più schietto insegnamento romano, ed educano per tempo l'animo dei giovani leviti a quella grande massima dei Santi, di sentire sempre ed in tutto *cum catholica Ecclesia*.

A tutto questo voglio aggiungere una parola sulla *modernità* di questo Corso, che « *profert de thesauro suo nova et vetera* », e trae buon partito anche dagli studii recenti e dai novissimi lavori nostrani e stranieri, come apparisce dalla copiosa bigliografia, e dalle note condensate a pie' d'ogni pagina. Anche la critica storica deve chiamarsene soddisfatta: parlo della critica sana e di buona lega; non di quella ipercritica protestante e razionalistica, che col suo soffio distruttore minaccia di infiltrarsi nell'apologia cattolica per portare anche fra noi lo scetticismo, e per demolire tutto, fosse pure l'ispirazione ed il canone dei Libri Santi, e financo la divinità di Nostro Signor Gesù Cristo; Dio ce ne scampi!

Nell'interesse dell'insegnamento teologico faccio voti che a questo suo Corso si aprano le porte di tutti i Seminarii, così che Ella deva ben presto occuparsi di una seconda edizione.

Con questi sensi e con tali voti La riverisco e benedico assai di cuore, ed augurandoLe nuova lena e vigoria per condurre a termine altri lavori, che si aspetta da Lei questa *Verona sacra*, me le raffermo con molta stima ed antico affetto

Dal Vescovado di Verona
22 Marzo 1903

Devot.mo nel Signore
† **BARTOLOMEO Card. BACILIERI Vescovo**

Godo esprimerle con sincerità le mie congratulazioni e felicitazioni, giacchè Ella con metodo il più confacente all' insegnamento della Storia ecclesiastica presentò la materia con piena cognizione di fatti e documenti, anche giusta i moderni autori. Mi sembra che Ella provveda i Seminari di un corso, di cui si sentiva generale il bisogno...

FRANCESCO CARD. SATOLLI

È veramente un lavoro condotto con molta accuratezza didattica, e fornisce un testo magnifico per le scuole teologiche.

DOM. Card. SVAMPA

Mi son procurato i tre volumi delle sue *Institutiones historiæ ecclesiasticæ*; e mi giovano assai per l'ordine, la chiarezza, l'acume e le altre doti bellissime, preziose ad orientarmi in questa babele di criticismo, speciamente di autori stranieri.

Can. GIOV. MAURI
Prof. nel Seminario Maggiore di Milano

Auguro alla sua opera la maggiore delle diffusioni; felici quei Seminari, che la adotteranno e *sapranno* adottarla.

Can. ANTONIO Dott. NICCOLÒ
Rettore nel Seminario di Acerenza

Finchè io insegnerò in questo Seminario la Storia ecclesiastica, terrò sempre come testo di scuola le sue dottissime *Institutiones*.

Can. PASQUALE SCARATTI
Prof. nel Seminario di Matera

RECENSIONE

« Il ch. Autore, grazie alla disposizione data alle sue *Institutiones*, ed alla brevità e concisione, non disgiunte dalla chiarezza, del suo stile latino, e grazie pure alle continue e numerosissime citazioni di opere e di lavori speciali più recenti e più alla mano, riesce a condensare ogni cosa in poca mole. Con tuttociò egli può largheggiare ancora nelle sue dissertazioni, alcune delle quali, attesa la loro importanza storica, si stendono per lunghe e fitte pagine... Le *Institutiones* del ch. Pighi non sono certo da leggersi per dolce pascolo dello spirito; ma come libro di consultazione e sopratutto come testo di scuola (ed a ciò ha mirato precipuamente l'Autore), hanno un merito tutto proprio. Su questo fondo, che anche nelle dissertazioni più ampie mantiene il carattere di Sinossi, il professore può allargare eloquentemente quanto vuole le sue lezioni e quanto la condizione dei suoi scolari permette. Nulla poi diciamo dello spirito profondamente cattolico, che aleggia in tutta l'opera. Le sentenze dell'Autore sono quelle dei più reputati Scrittori cattolici. L'esame in fine del terzo volume ci ha fatto scorgere ancor più chiaro il progresso dell'intero lavoro; perchè di mano in mano che la storia va meglio delineandosi, cresce eziandio il merito dell'esposizione nei primi due volumi, e più specialmente nel terzo. »

La Civiltà Cattolica Serie XVIII. Vol. VIII. pag. 350.

Oltrecchè in molti Seminari minori, l'Opera è adottata come testo di scuola nei tre Seminari arcivescovili di Bologna, Cagliari e Ferrara.

33169

236.409
P 625
PIGHI, JO. BAPT.
AUTHOR
De Universa Poenitentiae Ratione
TITLE in Primitiva Ecclesia

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

33169